

MAN

ANTIOCHIA

ESACADE



1 18c 12 9c

Pl

Sammelband 24.



16
Ka 3050

B. C. D.

DISSERTATIO

DE

DIVINO VICARIATU PRINCIPUM

QVAM

PRÆSIDE

JO. CHRISTOPH. BECMANO,

D. ET HISTOR. AC POLITIC. PROFESS.
PUBLIC. ORDINAR.

IN

AUDITORIO PHILOSOPHICO MAJORI

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI

SUBJICIT

OTTO CHRISTIAN de GRUMBKOVV.

Ad D. IIX. SEPTEMBR. ANNO MDC LXXXIIX.



FRANCOFURTI

Impensis PAUL GÜNT. Pfotenbauers / Bibliop. Coburg.

DISSERT. V.



SERENISSIMI ac POTENTISSIMI
ELECTORIS BRANDENBURGICI
FRIDERICI III.
MINISTRO STATUS, CONSILIARIO
INTIMO & REGIMINIS NEO-MARCHICI
CANCELLARIO GRAVISSIMO

PERILLUSTRI ac GENEROSISSIMO
DOMINO
DNO. CHRISTOPHORO
de Brandt /

HÆREDITARIO in Hermersdorff / Lochstedt /
&c. &c.

MAXIME STRENUO & GENEROSISSIMO
DOMINO

DNO JOACHIMO FRIDE-
RICO de VVREECHEN,

SERENISSIMI ELECTORIS BRANDENBURGICI
COLONELLO LOCUM TENENTI

HÆREDITARIO in Büßen / &c. &c.

AGNATIS, MOECENATIBUS & FAUTO-
RIBUS SUIS OMNI HONORIS CULTU SUSPICIENDIS

hanc

DE DIVINO PRINCIPUM VICARIATU

Disputationem

*In sempiternum debita observantia signum
offert*

Otto Christian de Grumbkovv.

DISSERTATIO
De
DIVINO VICARIATU
PRINCIPUM.

CAPUT I.
GENERALIA DE VICARIIS
ET NATURA VICARIATUS
DIVINI.

SUMMARIA.

- | | |
|--|---|
| <p>I. Vicarii Nomen rebus & actionibus pariter ac personis tributum.</p> <p>II. Vicarii in Veteri Rom. Imperio per Orientem & Occidentem.</p> <p>III. Vicarii hodierni Imperii per Italiam, in Imperio Germanico, Imperatoris.</p> <p>IV. Vice-Regum natura, eorumdemq; varia nomina: Crocus Vice-Rex.</p> <p>V. Vice-Comites, Nomen Officii in Anglia & Hungaria, Dignitatis in Anglia, Gallia &c.</p> <p>VI. Vice-Domini. Vidames, Bishdome.</p> | <p>VII. Vicarii Generales, Foranei, Officiales.</p> <p>VIII. Coadjutores, Adjutores, Subadjuva.</p> <p>IX. Administratores.</p> <p>X. An Pontifex M. dici possit Vicarius Petri?</p> <p>XI. Vice-Rectores in Universitatibus aliisque Collegiis.</p> <p>XII. Locum tenentes, Lieutenants.</p> <p>XIII. Generalia de Vicariatus Naturahinc collecta.</p> <p>XIV. Vicariatus Divini plenior Explicatio.</p> |
|--|---|

OVV.

I.

D

D

-

CI



I.



*V*icarii nomine generaliter venit quicquid vicem alterius gerit, sive in rebus & actionibus, sive in personis. Sic dicitur *Pœna vicaria*, *Opera vicaria*, *vicaria Fides*, *vicaria Mors*, ap. *Quintil.* & alios. Scipio apud *Liv. Dec. III. L. IX.* ad Equitem Siculum militiam horrentem: *Quando igitur Adolescens quid sentires non dissimulasti, Vicarium Tibi expediam, cui Tu arma, Equumq; & cetera Instrumenta militiae tradas.* Et mox ap. eundem *Liv. cit. l.* Ubi hoc modo exautoratum Equitem cum gratia Imperatoris ceteri viderunt, se quisq; excusare & Vicarium accipere. Dicitur etiam *Servus Vicarius*, qui alterius Servi vices gerebat, *δὲ λ. δὲ λ. ε.* *Esse sat est servum, jam nolo Vicarius esse.* *Martial.* *Cimon Miltiadis filius, cum Parentem sepeliret, Vicarium se pro Corpore Patris dedit.* *Senec. Contr. XXIV.* Et in Carmine Devotionis Romanorum Personæ devovendæ *Vicarii* dicebantur, quia pro Rep. aut Exercitu Iræ Deorum objiciebantur: *Eosq; ego Vicarios pro me, fide, Magistratūq; meo & pro populo Romano Exercitibus Legionibusq; nostris do, devoveo.* Vid *Rosin. Ant. R. L. X. c. XIIIX.* Quæ & similia pluribus videnda in *For. Rom.* aliisque Lexicis v. *Vicarius.*

II.

In veteri Imperio Romano in specie *Vicarii* dicebantur, qui pro Præfectis Prætorio quidem mittebantur in tractum vel Diocesin aliquam, attamen ex mandato Principum, adeoque *Vice Sacra* iudicabant: Unde & ordinaria, non deligata Jurisdictione gaudebant. Sic *Ulpianus l. 1. §. 4. ff. de Legat. 3.* *A Præfectis Prætorio velleo qui vice Præfecti ex mandatis Principis cognoscit, deportatus statim amittit civitatem.* Et *l. 1. C. de offic. Vic. Imp. Valentinianus Vicarios in causis civilibus Comitibus anteferri, quoties etiam Societas in iudicando contigerit, priori loco Vicarium poni jubet, si quidem Præfectura meritum cæteris dignitatibus antistat, & Vicaria dignitas ipso nomine ejus se trahere iudicet portionem, & sacre cognitionis habeat potestatem, & iudicationis nostræ soleat representare reverentiam.* Et de *Vicario Romæ Casiod. L. VI. Var. n. XV.* *Vices agentium mos est, sic iudicium voluntatibus obedire, ut suas non habeant dignitates, splendent mutuo lumine,*
nitura-

tituntur viribus alienis, & quædam imago in illis videtur esse veritatis, qui proprii non habent jura fulgoris. Tu autem Vicarius diceris, & tua privilegia non relinquis, quando propria est Jurisdictio, quæ datur à Principe: Habes enim cum Præfectis aliquam portionem, partes ap. Te sub Prætoriana ad- vocatione configuntur, Vice sacra sententiam dicis, &c. Additur, quod nec saluari te sine Chlamyde jura voluerunt, scilicet, ut sub veste militari semper visus nunquam credaris esse privatus, sed hæc omnia ad Præfecturæ gloriam judicamus esse concessa, ut qui tantæ sedis Vicarium diceret, umbratile nil videret. Quæ licet loquantur de Vicario Præfecti Urbis Romæ, idem ta- men & de aliis est dicendum. Idem Perfectissimi, postea Spectabiles dicti, Vicarii item Augustales l. ult. C. de his qui per met. Jud. non appell. V. pluribus Panciroll. Not. Imp. Or. c. CXXII. Talesque in Oriente Quatuor erant Asiæ, Diæceseos, Ponti, Thraciarum & Macedonia, quos ipse Imperator Leo nominat l. ult. C. de divers. Offic. Constantinopoli tamen nullus, veluti nec suburbicariæ Provinciæ; Nam quamvis ejus Præfectus apellationum ex quibusdam Provinciis Judicia ali- quando exercuerit. l. cum appellatio. C. de appellat. potior nihilominus ubique erat Præfecti Prætorio Orientis (cui Thracia omnis parebat) autoritas; ita ut in ipsa urbe regia jus vice sacra diceret l. raptores. de Episc. & Cler. Quam rationem reddit P. Berter. Pithanon. Diatr. I. f. 26. In Occidente erant Vicarius Urbis Romæ, Italiæ, Illyrici, Africæ, Hispaniarum, Galliarum, Britannia. Vid. Panciroll. Not. Imper. Occid. c. XLIX. LVII. LXII. LXIV. LXVII. LXVIII. adsl. Calvin. Lex. Limn. f. Publ. L. III. c. XII. Cujac. in Paratitl. C. L. I. Tit. XXXIIX. de Offic. Vicar.

III.

In hodierno Imperio Romano Germanico Vicarii Imperii per Italiam superioribus seculis varii extitere, ut Domini de Scala, Du- ces Mediolanenses & alii, quos V. ap. Card. Tusch. Lit. V. Concl. CLXXXII. Limn. f. P. L. III. c. XII. Hermes Fascic. f. P. c. XX. n. 5. Bö- cler. Not. S. R. I. L. IV. c. III. Nostro tempore & quidem perpetui sunt, Duces Mantuæ & Sabaudia. quanquam non sine mutuis eo nomi- ne litibus, de quibus aliqua habentur hodierni Invictissimi Impera- toris Leopoldi Capitulatione Art. IV. Et Perpetuos quidem se vocant, seu quod eorum familia hic titulus perpetuo adhæreat, seu quod si- ne temporis præfinitione hac potestate sint donati, Limn. c. l. Ipsum



interim Vicariatum hodie nomen potius & dignitatem quam functionem esse, utiliter tamen & stricte retinendum notat *Böcler*. Ad conservanda nimirum Jura Imperii; Et *Caroli Paschalii* querela quidem, quam allegant *Limnaeus* & alii ex *L. de Coron. IX. c. XX.* non de nihilo est; Perpetuum nempe illum Vicariatum sapere ipsam Imperialem potestatem: Quam tamen Distinctione Potestatis Absolutæ & Summæ expediri posse autumamus. Per Germaniam S. R. I. Vicarii notissimi sunt *Palatinus* & *Saxo*: An plures aliquando futuri? An per Germaniam solam functionem hanc exercent, & annon Vicarii Italiæ ipsis subsint? An solum Interregni tempore locum habeant, & annon etiam absente & peregre profecto Imperatore? Quæ denique potestate præditi sint, hujus loci non est disquirere, *J. P. Scriptores* distinguunt quoque *Vicarios Imperii* & *Vicarios Imperatoris*, & illos certos esse, hos ab Imperatore seligi posse autumant. Talem Vicarium & Tutorem Imperio constitutum à *Carolo IV. Balduinum Trevirensis* tradit *Brovver. in Trevir. L. XVII. f. 1000. & 1007.* Idque olim factum Impp. arbitrio, superiori seculo consensum ordinum accessisse volunt. *Böcler. c. l. Hermes c. l. num. 6.*

IV.

Ejusdem generis sunt, quos *Vice-Reges, Pro-Reges* appellari passim videmus, Vicarii nempe Regiæ Majestatis Præsidis seu Gubernatores Regnorum; Quorum potestatem Jcti Hispanici egregie exprimunt, quando ajunt: *Prorex est alter Nos*, sicq; vocari dicunt, quia *Domini Regis personam representant*, eoque omnia facere possunt, quæ ipse Dominus Rex posset, si præsens esset in Regno, his duntaxat exceptis, quæ per Jura patriæ & mores majorum à Regia corona separari non possunt. V. plur. *Cortiad. Decis. Catalan. X. n. 3. 4. 5. 18. 19. 20. & seq.* Tales Vice-Reges Hispaniæ Regis in Regno Neapolitano, Siciliæ, Aragoniæ, Peruvix: Portugalliæ Regis Goæ in Litore Malabarico: In China eadem autoritate sunt, quos in specie *Unter Könige / Schalt-Könige* à recentium Itinerariorum autoribus vocari videmus v. *Neuboff. Itin. Chin. p. 22. 58. 142.* Sic Magnum Admiralium Angliæ nuncupat Vice-Regem Imperii Maritimi Anglicani, a *Vice-Roy of the maritime Kingdom of England*, Autor *Stat. Anglici P. II. f. 309.* Nomenque hoc ob singularem Eminentiam ad flores quo-

quoque transiit, inter quos est *Crocus Vice-Rex*, Flos singulari gratia notus. Et est quidem ubi aliis subinde nominibus affectos videre est, sed re eodem recidente. Quemadmodum *Hibernia* Pro-Reges à primo Anglorum ingressu sub Henrico Secundo, usque ad Eduardi III. tempora dicti erant Justitiiarii Hiberniæ, & Justitiiarii atque custodes terræ Hiberniæ; deinde Locum tenentes, & eorum Vicarii Deputati: Postea pro Principis Arbitrio, nunc Deputati, nunc Justitiiarii, nunc Locum tenentes, (qui titulo honoris plenissimus) sed plerumque una eademque autoritate. Camden. Ann. Elis. ad A. MDLXV. In Scotia Magnos Commissarios dici hactenus moris fuit, quo nomine & hodiernus Rex vivente abhuc Fratre Regio, sive Lord Heigh Commissary, gavisus fuit. In Regnis ab Hungaria dependentibus sunt Bani, Gubernatores Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ. Brachel. L. II. ad A. MDCXXV. In Hungaria talis est Palatini dignitas, quæ quæquam Regiæ subiecta est, ei tamen proxima esse censetur. Namque Interregni tempore Jus indicendorum, ac prima & potiora in creando Rege suffragia habet; præterea Domi inter Regem atque Subditos juris administrandi potestate fungitur: Foris autem & in Castris summum Imperium, summam rerum Bellicarum administrationem obtinet, &c. Ist-huanfi Histor. L. VI. f. 56. Quæ tamen præcedenti seculo ab Anno MDXXXV. maximam partem cessavit, excepto Thomæ Nadasdi tempore, qui ab anno 1554. ad A. 1562. eam iterum tenuit, & loco Palatinorum Locum tenentes Regis electi, usque ad A. MDCIIX. quo revixit ac hodiernum durat. Vide seriem eorum annexam Petri de Rewa Tr. de Monarchia & Sacra Corona Hungariæ f. 152. et seq.

V.

Dantur & Vice-Comites, Vicounts, quasi Comitum Vicarii, quibusque olim minora Justitiæ negotia expedienda dabantur, quales in Gallia passim extitere usque ad Hugonis Capeti tempora. Quo sensu & Calvin. in Lex. Vice-Comes est cui Dominus temporalis committit executionem Jurisdictionis suæ in aliis quibus Castris. Sicque in Anglia adhuc Vice-Comites in singulis Comitibus seu Shiris vocantur, qui tanquam Vicarii Comitum aut Pro-Comites Imperium mixtum exercent, Processus Judiciales dirigunt, latusque à Judicibus Regiis sententias capitales executioni mandant. V. Smith de Rep. Angl. L. II. c. XVII, Similiter in Hungaria Vice Comites Comitibus Parochialibus

bus subordinantur, de quibus vide *Ortel. Besch. des Rdn. Hung. f. 29.30.* Quæ functio vero & in Dignitatem transiit, sicut ipsa Comitum & Ducum officia: Unde jam olim in Italia auditi *Vice Comites Mediolanenses*: In Portugallia *Vice Comes de Villa Nova de Cervera*. In Gallia *Vice Comites Turcennii* & alii, aliiqve iterum in Anglia, quorum requisitum fuit, ut tribus vel quatuor Baronatibus instructi essent: *V. Selden. Titl. of. Hon. P. II. c. III. §. XIX. & c. V. §. XXXI.* Ubi etiam diplomata creationis eorundem leguntur. *Quo celsiore fulgeat prærogativa honoris, de gratia nostra speciali, in præsentis Parlamento nostro, præfato Johanni Domino de Beaumont Consanguineo nostro ac heredibus masculis de corpore suo exeuntibus nomen Vice Comitis de Beaumont imponimus, ac ipsum insigniis Vice Comitis de Beaumont realiter investimus, locumq; in Parliamentis, consiliis, & aliis congregationibus nostris, super omnes Barones Regni nostri assignavimus eidem. Add. Limn. Not. R. Fr. L. IV. c. XI.*

VI.

Vice Comitibus jungendi Vice-Domini; Quod enim respectu Comitis est *Vice-Comes*, id respectu Episcopi qui per excellentiam *Domini* vel *Domnus* dicebatur est *Vice-Dominus*, hoc est ille, qui Vice Episcopi fungitur, in temporalibus, potissimum in administratione Justitiæ: ac quemadmodum Vice-Comites ex Officiariis facti sunt Domini, ita quoque Vice-Domini, dum officium suum convertunt in feudum, quod ab Episcopo recognoscunt. Verba sunt *Limn. Not. R. Franc. L. IV. c. XII.* Ab Urbano II. numerantur inter Administratores rerum Ecclesiasticarum *c. 1. q. 3. c. 8.* De antiquitate eorum judicare licet ex Epistola Gregorii M. *Dist. LXXXIX. c. 2. Volumus ut frater noster Paschasius Vice-Dominum sibi ordinet & Majorem Dominum quatenus possit vel hospitibus supervenientibus, vel causis quæ eveniunt, Idoneus & paratus existere*; In abstracto est *Vice-Dominatus. Ext. de Simon. c. consulere 38.* Gallis est *Vidame*, voce ex *Vicedominus* contracta, veluti *Dame* olim *Dominum* significavit. *V. Pasquier. Rech. VI. c. III.* Germanis *Bizdom* / itidem quasi *Vicedominus*. Unde & nobiles de *Bizedom* / quos ex *Vicedominis* ejusmodi ortos Historici autumant, wird von diesem Adeltichen Geschlechte von vielen Historics dieses affirmiret / daß solches sein Ursprüngliche Ankunfft von den vier Vicedominis, so Thüringen erstmals nach der Könige Abgang anstatt der Kaysen und

und Erz-Bischöffe zu Mayntz verwaltet/ allerding haben sollen. *Pecken-
stein, Theatr. Saxon. c. XIII. f. 299.* Vicecomitum vero & Vicedomi-
norum hanc differentiam reddunt. 1. Quod unius Comitis plures
possint esse Vicecomites, sed unius Episcopi non nisi unus Vicedo-
minus. 2. Quod Vicecomites communiter nonnisi mixtum Impe-
rium exercent, at Vicedomini merum & mixtum Vid. plura ap.
Selden. Titl. of. Hon. P. II. c. III. §. XX. Limn. Not. R. Franc. c. l.

VII.

In Statu Ecclesiastico habentur Vicarii Episcoporum, iique vel
Generales, qui ab Episcopis constituuntur cum commissione gene-
rali, ut eorum Vices in eodem Tribunali & loco generali, in quo ip-
si Jus dicere consueverant, gerant eoqve Judices Ordinarios agant;
Vel ad unam tantum vel alteram causam aut in certo loco particula-
ri Dioceseos constituti, quos *Vicarios Foraneos vel Rurales* appellant,
Pauermeister. c. I. Vel Vicarii Juridici, qui *Officiales* dicuntur. In qui-
bus Nominibus tamen iterum quaedam significandi varietas V. *Pau-
ermeister. de Jurisd. L. II. c. VII. n. 109. & seq. Card. Tusch. Lit. V. Concl. 183.
Card. Brancat. Epit. Can. Tit. Vicar Cortiada Decif. IIX. passim.* In Militia
quoque sunt Vicarii Generales Exercitus seu Capellani Majores
de quibus V. *Dian. T. VII. Tr. VII. Tes 65. Cortiada c. l.* Extantqve Vi-
cariorum hujusmodi plane eximia elogia: Ut Vicarium honoran-
dum esse tanquam repraesentantem Principalem, Vicarii gesta dici
gesta Episcopi, & de Episcopo jura loquentia verificari in Vicario,
quomodo cadunt in mandato: Vicarium Episcopi censerı habere
generale mandatum ad omnia, quæ alias sibi concessurus fuisset:
Vicarium Episcopi de omnibus cognoscere, de quibus Episcopus
in casibus in Jure expressis. V. pluribus *Lancell. Corr. Templ. Jud. L.
II. c. VI. n. 15.*

VIII.

Eodem loco habendi *Coadjutores*, qui sunt q. Vicarii & Chore-
piscopi, qui exercent *Regimen Disciplina & Temporalia administrant*, ut
loquitur *M. Ant. de Dom. L. III. c. III. n. 72.* Eosque ajunt dari posse
Episcopis propter senectutem, vel aliam infirmitatem quæ indi-
cat perpetuum impedimentum: V. c. 1. §. *presenti quoque de Cler.
agret. in 6. Cardin. Tusch. Tom. 1. Conclus. 402. 403.* Dantur etiam in
Diff. V. B spem

spem futuræ Successionis, præcidendarum de eligendo Successore litium causa, ad eum modum quo Expectantiæ & Investituræ simultaneæ in Familiis illustribus locum habent, vel etiam prout vivente Imperatore Rex Romanus eligi potest: In quo tamen, cum votum captandæ mortis metui possit, requirunt, (1.) ut Ecclesiæ evidens necessitas & utilitas id postulet: (2.) Causa prius à P. M. cognita sit, seu generaliter ut fiat cum consensu Superioris & eorum, quorum interest: Unde & ipsi Episcopi olim Successores ejusmodi designasse leguntur, veluti Macarius Ecclesiæ Hierosolymitanæ metuens, sedemque Episcopalem ab Arianis & hæreticorum labe cupiens vindicare, Maximum, qui orthodoxus erat, non modo Successorem sibi designare statuit, sed ut omnem post obitum suum controvertendi occasionem præcideret, impetravit, ut etiam sibi vivo Maximus daretur Coadjutor, simulque Episcopali munere fungeretur. *Sozom. Histor. Eccles. L. II. c. XIX. Ziegler. Inst. 7. Can. L. I. Tit. XVI. n. 1.* (3.) Concurrant Qualitates, quæ in Coadjutore assumendo de Jure in Episcopo desiderantur, V. *Concil. Trid. Sess. XXV. c. 7. de Reform. ap. Hermes Fascic. c. XIII. n. 32. Add. Ziegler. c. l. M. Ant. de Dom. Rep. Eccl. L. III. c. III. n. 61.* Possunt & Politicæ causæ intercedere, cujusmodi in Germania nostra illustre Exemplum extat in Episcopatu Osnabrugensi, V. *Instrum. Pac. Art. XIII.* Nec solum Episcopis datur, sed si res exigat etiam inferioribus: Quorum Coadjutoria tamen ad Pontificem M. referri opus non est. *Barbos. de Jur. Eccl. L. III. c. X. n. 22. Ziegler. c. l. n. 2.* Archidiaconum quoque posse dici Coadjutorem Episcopi in ordinatione Clericorum notat *Lanc. Contr. L. II. c. IIX. n. 10.* De Nominis ratione tantum addendum, eam ex Veteri Romano Imperio pendere, quo *Adjutor* dicebatur, qui alterius vices seu locum implet. *Cassiodor. L. VI. Variar. in Magisteria Dignitat. form. 6.* *Adjutor, etiam Magistri nostris presentatur obtutibus, ut vicaria sorte beneficii, eligamus ejus presidium, qui nobis præstat fidele solatium.* Sic *Adjutorem* Paulus appellat *actorem*, qui Tutoris infirmi vel absentis vices implet, *L. solus in fin. ff. de Tutel. Adjutores Officii L. 3. in fin. ff. de Divers. offic.* Primarius *Adjutor* officii P. V. *l. ult. C. de Offic. Præf. Urb.* Plura exempla V. ap. *Panciroll. Not. Ultr. Imp. c. XII.* Talis etiam erat *Subadjuva* dictus, quasi *Adjutorem adjuvans*

juvans seu Adjutoris Adjutor Ut ap. Synes. Ep. CXLV. *Harpocratio* quidam est ex Heracliani Satellitibus, ordinem habens ut Adjutori opituletur: Nam dictio, Subadjuva, hoc interpretari creditur. Alia exempla V. itidem ap. Panciroll. c. l. c. XVI.

IX.

Dici posset & de *Administratoribus*, qui vacanti Sedi praesunt, sine consueto tamen Charactero Episcopi, Abbatis, Magni Magistri et sic. Quo licet non gaudeant, revera tamen horum Juribus utuntur eorumque vices obeunt. Vid. *Aug. Barb. de Off. Episc. Alleg. LXXXVII. n. 10.* Sic Reges Portugalliae Administrationem Ordinis Equitum de Avis ex concessione Julii III. P. M. susceperunt, quae Coronae Regiae deinde perpetuo unita remansit. *Aug. Barbos. Decis. Apost. Collect. CCCV. n. 6.* Et Equitum Christi *Barbos. Collect. CCCIX. n. 8.* Equitum Calatravensium Magisterium Regiae Coronae Castiliae unitum fuit & Reges Hispaniae perpetui hujus ordinis Administratores creati ex concessione Adriani VI. *Constit. Barbos. c. l. Coll. CCCVI. n. 4.* Equitum de Alcantara iidem & ex eadem concessione *Barbos. Coll. CCCIIX. n. 8.* Etiam Equitum S. Jacobi. *Barbos. Coll. CCCXVI.* In Germania nostra tales sunt Elector & Archi-Episcopus Trevirensis, qui Administrator Abbatiae Prumiensis, Et Episcopus Spirensis, Administrator Praepositurae Weissenburgensis. Sic Elector Coloniensis quoque Administrator in Berchtholdsgaden, & Episcopus Argentinensis, Administrator Stabulensis & Malmanduriensis haecenus dicti fuere. Unde & nomen hoc ab Evangelicis Principibus in possessione Archi-Episcopatum subinde usurpatum.

X.

Pontificem M. in specie dici *Vicarium S. Petri* in Patribus, actis Conciliorum, antiquis Canonibus, passim videre est. Quorum verba magno numero exhibent, *M. Anton. de Dom. Rep. Eccl. L. IV. c. l. §. IV. Dian. T. IV. Tr. IIX. Resol. CXXVI.* Ita Symmachus Apologet. adv. Anastas. Imp. *An quia Imperator es, contra Petri niteris potestatem. Et qui Petrum Alexandrinum recipis, Beatum Petrum Apostolum,* in suo qualicumque Vicario calcare contendis. Et Philippus Presbyter, Legatus Coelestini Papae, sic loquitur ad Patres Concilii Ephesini, Tom. II. c. 16. *D. Petri Ordinarius Successor, & Vicarius Sanctus Be-*



atissimusq; Papa, & Episcopus noster Cælestinus, nos suos pro se, quasi Vicarios ad hanc Synodum misit. Iterum dist. LXIII. c. Ego Ludovicus Ego Ludovicus Imperator Augustus statuo, & concedo per hoc pactum confirmationis nostræ, tibi B. Petro Principi Apostolorum, & pro te Vicario tuo Domino Paschali summo Pontifici: Et in Juramento recedentium à Schismate, Spondeo sub ordinis mei casu, & anathematis obligatione, atq; promitto tibi, & per te S. Petro Apostolorum Principi, atq; ejus vicario Beatissimo Gregorio, vel successoribus ipsius me nunquam quorumlibet svasionibus, vel quocunq; alio modo ad Schisma reversurum Unde & in Officiale Romanum transit, ubi iisdem verbis Episcopus utitur quando consecratur. Quæ res Cardinalibus Baronio & Bellarmino occasionem præbuit formulam hanc pro impropria habendi; Aliis Ecclesiæ Romanæ cultoribus, ut in Officiali corrigendam esse judicarent; Ajunt enim Vicariatum esse Officium subalternum, eoq; involvere subjectionem ejus, cujus vices geruntur, adeoque Pontificem non esse dicendum Vicarium Divi Petri, cum in Regimine Ecclesiæ non sit minor, seu inferior D. Petro, sed æqualis. Sed Diana nec corrigendum Officiale, nec loquendi hoc genus pro improprio habendum autumat; Vicarium enim hic significare ait non Vicem gerentem, sed successorem, idq; variis dictis veterum conatur astruere: Quæ an intentioni ejus satis inserviant, præsentis instituti nostri non est disquirere, quibus satis est Spectatores hujus titis in Ecclesia Romana agere.

XI.

*Vice-Rectoris aut Prorectoris nomen in Universitatibus aliisque collegiis auditu non infreqvens est, iisque tributum, qui Præsidis ex ejusmodi corpore vel absentis, vel defuncti vices obeunt: Idem locum habet, quando Rectoris dignitas Personæ Illustri in Universitate confertur, qui enim è corpore Academico ipsi adjungitur Prorector vocatur: Cujusmodi Rectores Magnificentissimos Universitas nostra XLV. numeravit & in iis VII. Principes Patriæ horumque tres Heredes Electorales, IV. Principes Exteros. V. Comites XXIX. Barones Sicq; in Universitate Helmstädiensi solum Vice-Rectoris nomen auditur, quia Rectorem Magnificum semper aliquis è Serenissimis Ducibus Brunsvic. agit, quorum primus idemq; perpetuus Re-
ctor*

etor fuit Henricus Julius Diplomate Maximiliani II. *Imp.* institutus ac confirmatus: Notantque Helmstadienses Sereniss. Ducem Augustum, quoties annum illius Regimen gereret, in omnibus ad Universitatem datis literis ac Rescriptis *literam R. Nomini suo adscripsisse*, non tam muneris illius ac potestatis, quam singularis sui erga illam gratiæ & favoris indicio, uti loquitur descriptio *Jubilee Helmstad. f. 13.*

XII.

Non ignotum quoque in Militaribus & Civilibus *Locum tenentium* Nomen, voce Locus vicem, substitutionem, vel representationem indicante. V. *Martin. Lex. v. Locus*: Talis in Gallia *Locum tenens Generalis Militiæ* à Carolo IX. constitutus *Frater Regius Lieutenant General, representant nostre personne en & par tout nostre Royaume & les pays de nostre obeissance, aver plein pouvoir, auctorité, faculté & mandement special, de mander & faire assembler en tels lieux que bon luy semblera tous nos gens de guerre, qui sont & seront ordonnez pour nostre service, & les employer contre nos ennemis, leurs adherans & tenans leur party.* Cod. Ludovic. L. I. Tit. XXI. §. 3. Cui æquiparandum quod ex Jure Milit. Svedico allegat Hojer. Weil der Feldherr und General ist/ als Gesandter und Stadthalter der gnädigsten Herrschafft / und derselben Person (wann sie selber nicht zur Stelle ist) repræsentiert, so ist es billich/ daß Er gleich der Herrschafft selbst respectiret werde. Churf. Brand. Kriegs R. Tit. III. Art. IX. *Locum tenentes Criminalium causarum Les Lieutenans Criminels: Un Lieutenant Criminel, qui aura la connoissance, jugera & decidera de tus cas, crimes, offenses & delictz, qui seront faits, commis & perpetrez au Baillage, Seneschausse, &c.* Cod. Ludov. L. I. Tit. XXVII. Sub quibus iterum *Les Lieutenans de Robbe courte, Executionibus perficiendis destinati* Cod. Ludov. Tit. eod. Art. XXI. Cujusmodi infinita alia adduci possent, sed quæ præsentis pagina non capiunt.

XIII.

Produximus ita Vicarios potiorum Vitæ Humanæ generum, nec adeo ambiguitatis evolvendæ causa, quam ut universorum natura hinc constaret, eoque ipse *Vicariatus Divinus* clarius patesceret. Summaque huc redit: Vicarius superiorem repræsentrare,

ejusque jura exercere : Acta eorundem tanquam acta superioris habenda, eodem quoque honore cum Superiori gaudere, atque adeo in cunctis ejusdem Imaginem, ac veluti *Alterum eundem* existere, iis tantum exceptis, quæ superior discrete excepit, aut pro natura negotii excepisse intelligitur. Repetenda in Primis §. IV. VII. IIX. ex præced.

XIV.

Ex his igitur & quæ natura sit *Vicariatus Divini Principum* cognoscere est : Qui quidem omnibus istis infinities major est, Communem tamen cum iis naturam habet, Diceturque proinde esse *Jus representandi Divinum Imperium in Republica*. Jus h. *facultas ad aliquid juste habendum*, Representandi h. *Imaginem gerendi, locum tenendi*, adeoque omne id explendi, quod Deus ipse facturum esset, si inter homines ageret : *Divinum Imperium*, in discrimen I. *Ab a-*
ctibus particularibus, qui Dei nomine subinde inter homines fiunt, sed non Imperii aut Regiminis in eos Titulo. Sic Moses voluntatis Divinæ apud Pharaonem nuncius & executionis minister erat, sed in Pharaonem ideo Imperium non habebat, æque ac in Humanis quoque Legati representant Principes, sed eorum Vicarij non sunt, quia deficiunt Imperio. II. In discrimen à suprematu Reipubl. qui est prima productio Reip. omniaque jura, quæ singuli in ea possident, complectitur ; Ac licet cum Vicariatu Divino perpetuo connexus sit, non tamen unus cum ipso idemque est, quia representat summam Jurium, quæ homines inter se habent, Vicariatus divinus v. illa jura, quæ Deus vi Imperii sui in homines exercet. De quo *seq. c. III.* pluribus. In *Republica*, in differentiam à *potestate Sacri Ordinis* : Nam Ministri Sacri itidem quidem Vices Dei gerunt, sed 1. in Spiritualibus. 2. Sine Imperio ; adeoque sensu latiori ; Principem Vicariatus è contrario sicuti vires ministras habet, & in Rep. adeoque vita Sociali custodienda occupatur. Ita nunquam sine Imperio est : Unde & Legati Dei potius quam Vicarii proprie sic dicti vocabuntur.

CA.

CAP. II.
EXISTENTIA DIVINI VICARIATUS PRINCIPUM, ET
PROVIDENTIAE DIVINAE CIRCA
EUNDEM ARGUMENTA.

- | | |
|---|--|
| <p>I. Princes Dei Vicarios esse constare, I. Ratione Naturali.</p> <p>II. II. Testimoniis S. Scripturae: Loca ex Libro Danielis.</p> <p>III. Locus Pauli Rom. XIII. 1. & seqq.</p> <p>IV. Verborum Pf. LXXXII. Vos estis Dii, explicatio.</p> <p>V. III. Argumentis specialis Providentiae Divinae circa eos, Deum n. hac de causa plerumque peculiarem rationem in designandis Principibus sequi.</p> <p>VI. Voluntatem ipsorum quoque mutare.</p> <p>VII. Et Iudicii vi eximia eos donare.</p> | <p>IIX. Iisdem custodiendis singulariter in vigilare.</p> <p>IX. Regicidas quoque speciali vindicta persequi.</p> <p>X. IV. Testimoniis Virorum Bonorum.</p> <p>XI. V. Consensu Gentium.</p> <p>XII. VI. Ipsorum Principum agnitione: Poena divina non agnoscendum. Crux Globis Regum Christianorum imposita.</p> <p>XIII. Usus Formulae DEI Gratia, Cur à DEO Coronatos se scripserint? Quid de Formula, DEI & Apostolicae Sedis gratia?</p> <p>XIV. Cur Θεοτάτας, Divos, Sacratissimos se scripserint.</p> |
|---|--|

I.

Diximus quid sit *Vicariatus Divinus Principum*: An iis competat, qualis item & quantus sit, nunc porro edisserendum suscipimus. Ac primo quidem Vicariatum Divinum Principibus competere, constat ratione naturali, autoritate Divina, Consensu Virorum bonorum, Ipsarum quoque Gentium, Agnitione denique ipsorum Principum. Primum argumentum supeditat ratio naturalis: Quia enim Deo non placuit externo & a-

specta-

spectabili modo homines regere, humana vero natura ex hypothesi
 præsentis status sui non aliud quam externum regimen admittit,
 nec tamen divino Imperio carere potest, sequitur, oportuisse inter ho-
 mines constitui, qui Dei nomine Imperium hoc exercerent, adeoque, Divi-
 nos Vicarios agerent. Cujus argumenti evidentia vel in eo claret,
 quia quamdiu Hominum in Terris magnus numerus nondum
 erat, Deus ipse Judicis Externi partes egit, ut in causa Caini, quam
 ipse cognovit & judicavit, cum Parentes & Fratres ejus, siqui fuere
 Vicariatum illum haud commode exercere potuissent. Neque
 alii hi potuerunt esse, quam qui summam in Terra potestatem ha-
 bent. Summus enim qui inter Homines est; is Summi Entis quo-
 que Jura in eosdem aptissime gerit. Urget hoc argumentum
 Doctiss. suorum temporum Theologus *Ægid. Romanus* Or. quam
 Sorbonæ nomine ad Philippum Pulchrum Regem Galliarum habuit:
*Nomen Regium dixit, non in terris natum, excogitatumve, sed e cælo dimis-
 sum mihi videri solet. Parens enim rerum Deus, cum genus humanum con-
 didisset, summum quidem in illud Imperium Jusque penes se retinuit: Sed ut
 mente in eum sublimes ferremur, ut illum cupidius quæreremus, ut spe, ut votis
 incenderemur: Idcirco in terris palam ipse degere, oculisque nostris obser-
 vari noluit: Regesque instituit, qui ejus vice mnucereque fungerenturs, quorum
 ut quisque probitate quam proxime ad Deum Optimum Maximum accederet,
 ita verissime Rex vocitaretur. Apud Æmyl. Histor. Gall. L. IIX. init. II.*
 Itaque licet etiam nullum manifestum signum voluntatis divinæ
 extaret, nihilominus præsumendum esset, Deum hunc characterem
 ipsis conferri voluisse, Dominus enim sciens causam suam agitari nomine
 suo per Titium & permittens, confetur dare mandatum Titio ad illam causam
Rom. Conf. 170. Card. Tusch, Lit. M. Concl. XXXI. n. 2.

II.

Quia vero mandatum Principis scriptura niti debet *l. i. C. de
 mandat. Princ.* producenda erit scriptura omnium perfectissima,
 Verbum Dei Revelatum, quo Vicaria hæc potestas Divina Principi-
 pibus mandata esse variis locis, variis item modis ostenditur. Ita
 enim legitur *Dan. IV. 14. 22. Excelsus dominatur super Regnum hominum,
 & cuicumque voluerit dat: Et Dan. II. 21. mutat tempora & etates, trans-
 fert*

fert Regna & constituit. Et in hypothese, *Tu es Rex Regum*, inquit Daniel ad Nebucadnezarem & *Deus cœli Regnum & fortitudinem & Imperium & gloriam dedit tibi. Et omnia in quibus habitant filii hominum, & bestias agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua universa constituit. Dan. II. 37. 38.* Ac licet dici possit, posse aliquem ab altero constitui, nec tamen ideo vicarium ejus fieri, ex natura officii Principum tamen satis intelligitur, eos hoc ipso, quo Principes fiunt, una Vicarios divinæ majestatis constitui, cum hæc duo inseparabilia sint, & Divinus Vicariatus quasi connatum officium summæ potestatis existat, adeo ut qui Summam potestatem in Terris habet, non possit non Summi Entis vices gerere.

III.

Id vero ut clarius fiat, Pauli verba subjungimus *Rom. XIII.* Is enim non tantum omnem potestatem à DEO ordinatam esse ait, quod præcedentis §. argumentum fuit, sed Principem quoque DEI Ministrum esse trina vice scribit, *Dei Minister est Tibi in Bonum: Non enim sine causa gladium portat, Dei enim Minister est &c. v. 4.* Et mox: *Ideo & Tributa prestatis: Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsius servientes v. 6.* Principes igitur & summæ potestates quæcunque non tantum à Deo sunt, sed iidem Ministri ejus constituti. Ac ne quis hic etiam putet, posse quodcunque Ministerium etiam privatum aut abjectius intelligi, Ministrum talem esse dicit, qui Gladium portat, h. Jus vitæ ac Necis exercere potest, quod solum Vicariatum Divinum sequitur. Accedit, Paulum eos *λεττεργετς* vocare v. 6. quod *publicum Ministrum* significat, Et *διακόνετς* v. 4. Quod licet quemcunque Ministrum significet in specie tamen *Legati διακόνετς* appellantur, *διακονία* Legatio, *διακονίασασ* Ministrum agere in Mandatis Principum aut Civitatum exequendis. Exempl. V. ap. *Steph. Lex. T. II. f. 341.*

IV.

Sed ne & hac in parte aliquid dubii maneat, *Principes Deos quoque* dici notamus. *Vos estis Dii Ps. LXXXII. Diis populi Tui nec maledicas Ex XXII.* manifesto Vicariatus divini argumento *Vicarius enim est Alter Nos*, ut supra notavimus, est *Imago Regis sui*, ut loquitur *Card. Tusch. Lit. V. Concl. CLXXXII. n. 16.* Principes igitur
Dii, V. C Dii



Dii vocantur quia repræsentant Deum in Terris adeoque Divinæ Majestatis sunt Vicarii; Alterum enim eundem esse Elogium est, quod nullis aliis ministris, sed solis Vicariis competit. Confirmat hoc argumentum ipse Servator & perpetui Juris esse addit, quia non possit solvi scriptura: *Nonne scriptum est in Lege vestra, quia ego dixi, Dii estis? Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi scriptura: Quem enim Pater sanctificavit &c. Joh. X. 34. 35. 36.* Atque hoc est, quod Vegetius de Sacramento militum scribit: *Imperatori tq. præsentis & Corporali Deo fidelis est præstanda Devotio & impendendus pervigil famulatus. De re milit. L. II. c. V.* Id tantum nobili huic loco adjiciendum, Principes non Deum, sed Deos dici, nequid *super humanum ac probabilem modum*, ut Seneca, in alio argumento loquitur *Clem. L. II. c. IV.* sibi tribuerent. Pluralitas enim in Humanis quidem perfectionem augere potest, sed in Divinis eandem minuit, cum non possit esse nisi unus Deus. Deos ergo dici Imperfectionis notam in Principibus relinquit, ut Deo quidem similes esse, eodem tamen longe inferiores se manere cogitarent, eoque homines se esse non obliviscerentur: Sicque Tertull. ad Scapulam: *Colimus Imperatorem sic, quomodo & Nobis licet & Ipsi expedit, ut hominem à Deo secundum, & quicquid est à Deo consecutum, solo Deo minorem.*

V.

Accedit, Deum varios Providentiæ suæ speciales actus circa Principes edere, evidenti argumento, Principes locum ejus in Terris gerere. Etenim I. *peculiarem rationem in designandis ipsis plerumq; sequitur: Hujus collatio Regni Autorem sortita Deum, contingere nullo Jure potest Hominum, Collator muneris hujus est Deus: hoc summis Regnum confertur ab astris. Gunther. Ligur. L. VI. v. 612.* Sic Diodor. Siculus L. I. de Ægyptiis: *Ἄμα μὲν ἐκ ἀνδρῶν δαίμονος τινὸς προνοίας αὐτὰς τετραχένας τῆς τῶν ὅλων ἐξουσίας.* Existimant non sine Divina Providentia pervenisse Reges ad Summam omnium potestatem. Et inter Essenorum placita numerat Porphyrius L. V. *οὐ δίχα θεῶν περιγενέσθαι τισὶ τὸ ἀρχεῖν.* Non obtingere cuiquam Imperium sine Dei cura speciali. Add. Irenæum & Constit. Clementis ap. Grot. J. B. L. I. c. III. S. 8. n. 5. *Non juxta intuitum hominis ego judico: Homo enim videt ea*
qua

qua apparent, Dominus autem intuetur Cor: Dicit ipse Deus cum reje-
cto Heliabo Primogenito Jessæi Davidem Fratrem ejus posceret
I. Sam. XVI. 7. Quæ ratione & Johannem Comnenum Imp. CPlum
usum legimus, cum morti vicinus filium natu minimum Manue-
lem pro Isaacio majori proceribus gravi Oratione commendaret:
Equidem fateor, dixit, naturam Principatum natu majoribus deferre solere,
Deum vero in designandis Regibus aliam rationem plerumque
sequi animadverto. Cogitate Isaacum natu minorem Ismaele, Jacobum
post Esavum materno utero exiliisse, Mosen Aarone juniorem, Davidem &
statura & atate minimum fuisse inter fratres, aliosque plurimos. Nec enim
Deus humano more personæ rationem habet, nec precia rerum canis & atate
metitur: Sed indolem animi, mansuetudinem, lenitatem intuetur, manda-
torumq; suorum observationem &c. Quare Adolescentem suscipite, ut Im-
peratorem divinitus designatum, & meo suffragio Imperium capeissentem. Ac
eum à Deo prelatum & predestinatum esse ad Imperium, argumento vobis
sint multa prædictiones & divinorum hominum præsagia: Quæ omnia Ma-
nuelem Romanorum Imperatorem fore pronunciarunt. Jam quod filii mei
ante Imperio destinati, obierunt, & is abest, cui id post illos natura lege de-
betur, quis aliter accipiat, nisi ea quoq; argumenta esse evidentissima,
Deum non velle alium, nisi Manuelem, sceptris Romanorum potiri.
Hactenus Comnenus: Sic Cardin. Aldobrandinus cum creato Cle-
mente IIX. à quibusdam rogaretur, quorum suffragiis summus
factus esset Pontifex: *Non fit, respondit, summus Princeps, sed factus*
de Cælo recipitur. Apophth. Card. Ald. Tit. I. c. III. Eodem referendum
Tit. Imp. Effatum, *Principatum Fato dari* ap. Sveton. Tit. c. IX. Et quod
Constantinus Imp. solitus fuit dicere, *Imperatorem esse fortune est* ap.
Æl. Lamprid. Heliog. c. XXXIV. Quæ tamen specialibus suis locis infra
pluribus exponentur. Exempla institutorum Przemislai I. Regis
Bohemiæ, Piasti Regis Poloniæ, restitutionis item Przemislai II.
Regis Bohemiæ, Caroli II. Regis Angliæ passim nota sunt.

VI.

Deus eorundem animum mutat. Efficietis vir alius, seu mutabe-
ris in virum alium dicit Samuel Saulo *I. Sam. X. 6.* Et mox v. 9. cum
avertisset humerum ut abiret à Samuele, immutavit ei Deus Cor aliud, h. fe-
citeum solito fortiorem ac prudentiorem, & ne dubitaret se Re-



gno destinatum, etiam momentaneum Prophetiæ donum ei Deus contulit. Grot. in h. l. Et hoc est quod Proverb. XXI. legitur: *Sicut divisiones Aquarum, ita Cor Regis in manu Domini, quocumq; voluerit, inclinabit illud.* Hoc est quod vestrum firmat Imperium, hoc quod vestra Regna conservat, inquit *Johannes P. Rom. l. 8. C. de Summ. Trin.* Et ipsa Sapientia cœlestis prædicat Prov. IIX. 15. *Per me Reges regnant, & Legum Conditores decernunt justa: Per me Principes imperant & potentes judicant Terram,* h. Deus Notas quasdam spiritus sui iis imprimit & dona quædam pene divina illis communicat. Sicque Dion. Chrysostomus notat Minoem Jovis congerronem dici *tanquam si diceret Discipulum Or. de Regn. IV. f. 65.* Quibus enim de rebus aliis putas eum cum Jove locutum, aut quæ alia ab eo didicisse, quam *justa & Regalia, quando & omnium justissimus dicitur Minos fuisse.* Idem deinde Reges quoque Διοτρεφείς, Jovis Alumnos vocari observat, quasi diceret *divinitus eruditos.* An Tu putas eum dicere, quod Reges à Jove nutriantur Lacte, tanquam à nutrice, & vino & cibis & non potius scientiæ & veritate. Or. ead.

VII.

Eximio ipsos iudicio instruit. Sunt enim Interpretes Divinæ voluntatis, *Ad regnandum promotus es, ut custos esses recti & Magnæ Dei Justitiæ Minister ac Interpres.* dicit alicubi *Eunap. Sard. An nescis, Principes Magnates esse, recens natos, rationis capaces, ubi infantiam exuunt: Senes, h. plene sapientes, ubi primum adoleverint? Distribuyente quasi per miraculum Deo præcociter Heroicis animis, quod acquirunt viles in tempore:* Dictum aliquando in Senatu Augusto Gallorum ap. *Gramond. Hist. Gall. L. I.* Occurrunt etiam interdum res ita difficiles & obscuræ, ut Regem omnino oporteat divinare: Quod legimus contigisse Salomoni in illa Muliebri controversia, cum infantem puerum superstitem utraque vindicaret, & suum esse diceret: In his Regem oportet, ne quid temere statuatur, exploratam habere voluntatem Dei. Sic Saul ad Regnum vocatus prophetavit, h. non imprudens amplius rerum divinarum tam scienter ac docte omnia repente ac sine Doctore fecit, quæ alii longo tempore à suis præceptoribus didicerant. *Martyr. Com. I. Sam. X. 8.*

IIX.

Iisdem quoq; magis invigilat, quam privatis hominibus. Regum oculis in omni fortuna quædam supra humanam vim inest. Inquit P. Jov. Histor. L. II. Sic Titus securus Imperii sui duos in affectatione Imperii convictos nihil amplius, quam ut desisterent, monuit, dicens Principatum Fato dari. *Sveton. Tit. IX.* Eadem fiducia Marcus Imperator de Avidio Cassio: *Si ei divinitus debetur Imperium, non poterimus interficere, etiamsi velimus. Scis enim proavi Tui dictum, Successorem suum nullus occidit. Sin minus ipse sponte sine nostrâ crudelitate fatales laqueos inciderit.* Vulcat. Gallic. in Av. Cass. c. I. Exemplum eximia DEI Providentiæ in conservato Jacobo Rege Angliæ à famosa illa conspiratione Pulveris Tormentarii in Historia Anglicana notissimum est & Rex ipse singulari oratione prædicavit ad ordines Regni habita *Opp. Reg. f. 487.* Carolus V. eodem argumento pericula bellica intrepida sustinuit, ideo sollicito ejus causa Marchioni de Vasti in obsidione Algeriensi monentique, ut periculo se subtraheret, *Nunquam Casarem Globo Tormentario interfectum fuisse, respondit,* Es sey noch kein Kaysers erschossen worden / Zinckgraff *Apophth. f. 97.* Christianus III. Rex Daniæ vero ipsum Satanæ insultum in Arce spectris infesta, in quam ob tenebras & tempestatem ingruentem secedere oportuit, ex hac causa contempsit. Der König hatte sich kaum / in ein bey dem grossen Saal sich befindendes Gemach / zur Ruhe begeben / so erhören die Diener einen schrecklichen Trompeten Schall / werden auch gewahr / daß ein unbekanter Herr / mit vielen Dienern und Fackeln begleitet / den Schloß-Hoff hinein und gegen dem Saal aufziehet. Derselbe gehet die andern alle vorbey / machet sich in des Königs Gemach / und befragt den König mit gräußlichem Gesichte / Wer bistu? Der König richtete sich getrost auf und antwortete unverzagt: Wir von Gottes Gnaden Christian der Dritte / erwählter und gekrönter König zu Dennemarck / haben uns in dieses von Unserm Gottseligen Vorfahren auf Uns ererbtes Königliches Schloß zur Ruhe begeben / hoffen auch / seine Göttliche Allmacht werde Uns / vor dir grausamen Gespenst gnädigst zu schützen Mannes genug seyn. Dieses / sagte das Gespenst / läßet dich Gott reden: komme mir aber nicht wieder. Verschwand damit / und ließ den König



geruhig schlaffen. Und ist solches Schloß hernach zu einem Gottes-
Hause gemacht worden. Also ist der Titel von Gottes- Gnaden / der
Christlichen Fürsten gewaltiger Schild und Schutz wieder den Teuffel
und alle Welt. Historiam pluribus exhibet Stiler. Secretariat - Kunst
vol. I. p. II. c. XXIII. & ex eo Geißler, Diss. II. de Tit. D. Gr. §. XXXV,

IX.

Denique & Hostes eorum acerbe persequitur. Sic Percussorum
Caesaris, neq; triennio quisquam amplius supervixit, neque sua morte defun-
ctus est. Dammati omnes: alius alio casu perijt; Pars naufragio, pars pra-
lio: Nonnulli semet eodem illo pugione, quo Caesarem violaverant, intereme-
runt. Sveton. Caf. LXXXIX. Autores Necis Adolphi Nassovii vin-
dicta divina intra Annum consumsit. Pezel, Mellif. Hist. P. III. 245.
Non minus percussores Alberti Austriaci Adolphi Successoris.
Pezel. ib. f. 256. Plura exempla vetera ac recentia passim nota sunt,

X.

Sed mandatum & per Testes probari potest arg. I. i. ff. de fid.
Instr. & I. in Exercendis C. eod. Barbof. Axiom. L. XI. c. X. Ita-
que Testes etiam huic argumento dabimus Viros Bonos variarum
nationum, variorum quoque temporum, Ubi enim multi diversis
temporibus ac locis idem pro certo affirmant, id ad causam uni-
versalem referri debet. Grot. Proll. §. XL. Ac principio quidem
Gentiles, ut quanta vis rationis naturalis in hoc argumento sit elu-
ceat. Sic itaque è Græcis Menander Εικὼν δὲ βασιλεύς ἐστι ἐμψυχὸς
Θεὸς. Rex est Imago viva Dei. Similique prorsus modo Diotogenes
Pythagoricus L. de Regno: Θεὸς ἐν ἀνθρώποις παρασχηματίζεται,
Dei figuram inter homines repræsentat, ap. Stob. περὶ βασιλείας
Serm. CXLVII. Regnum vero rem Deum imitantem vocat, Θεόμιμον
ἢ προῶγμα βασιλεία ibid. Et Sthenida Pythagoreus L. de Regno:
Μιματὰς ἀργ. ἢ ὑπερέλας ἐστὶται νόμιμος τῷ Θεῷ ὁ σοφὸς τε καὶ βα-
σιλεύς. Dei Imitator & Minister erit legitimus Sapiens ac Rex, ap. Stob. c.
I. Quæ ex parte etiam habentur ap. Paschal. de Coron. L. IX. c. XXII.
Qui & ἀντίμιμον ἢ ζήλωτα τῷ πρώτῳ Θεῷ, imitatore[m] & amulatorem
primi Dei, ab eodem Sthenida dici notat, quod verum quidem, sed
tum demum fieri dicit, si sapiens fuerit. V. Stob. c. I. Hesiodus dein-
de Musicos ab Apolline ait derivatos; Εκ δὲ Διὸς βασιλῆες, Ex Jove
au-

autem sunt Reges, in *Theogon*: Et plenius *Callimachus Cyrenæus Hymn. in Jovem*, quo postquam Diis inferioribus varia hominum genera assignasset, ut Marti Milites, Dianæ Venatores, Phæbo Muficos, Reges à Deo constitutos scribit, & eo quidem fine, ut Divinum in Terris custodirent ordinem: *At ex Jove sunt Reges*, ait, *quoniam Jove nihil Regum divinius est*, ideoque Tuum illis decrevisti ordinem, dedisti que ut urbes custodiant, tuq; ipse præfides celsis in Civitatibus, Inspector tam eorum, qui Legibus Populum sub iniquis, quam eorum qui contra gubernant. *Homerus* præterea Reges *Διοτρεφεῖς* h. *Jovis alumnos* vocat, tanquam à Deo Regnum adeptos *Steph. Lex. f. 1024.* de quo seq. c. III. ex *Dione Chrysofotomo* pluribus. Nemo omnium autem clarius, & ad mentem D. Pauli convenientius *Plutarcho L. ad Principem Indoctum*; Dicit enim Principes Dei Ministros esse hominum bono, Dei quoque instar Solis & Lunæ Imaginem gerere, h. universali influxu omnia gubernare. Qui locus vel hoc nomine dignus est, quem huc transcribamus, quippe ex quo uno satis elucet, quantum lucis sana ratio naturalis homini Sacræ Scripturæ ignaro hac in re præbuerit: *Polemo Deorum administrum esse dicebat Amorem, ad adolescentum procuracionem destinatum. Verius autem hoc dixeris, Principes Dei esse administrum ad tutandam hominum salutem: Ut quæ Dii bonis hominibus largiuntur, ea partim distribuant, partim conservent.*

Vides sublime fufum immoderatum ætherem,

Qui tenero terram circumvectu amplectitur?

Is quidem principia demittit seminum convenientium, terra autem ea vegetat: Augentur alia Imbribus, alia ventis, alia calore siderum. Lunæq; fovente. Omnia autem ea Sol ornat, & illum quem ferunt amoris illicem indit. Et tamen istis tot tantisq; donis quæ ii largiuntur, absq; Lege, Justitia, & Principe frui non est permiffum. Etenim Justitia Legis est finis, Lex Principis opus, Principes Dei Imago omnia digerentis. Neq; is opus habet Pheidia qui fingat, aut Polycleto, vel Myrone: Sed virtutis opera se ipsum Deo quam simillimum facit, jucundissimumq; spectat opus, & Diis charissimum. Quale vero elegantissimum in Cælo simulacrum sui Deus Solem atque Lunam infixit: tale in civitatibus ejus exemplum est atque Lumen Princeps.

Ju-



Jura Dei similis qui dat mortalibus aqua,
Scilicet recta præditis ratione, idq; habens Divinum, non sceptrum, non
fulmen, non tridentem. Quomodo nonnulli se pingi ac fingi jubentes, stul-
ticiam suam Invidia exposuerunt. Sic Θεῖον δῶρον, cæleste Donum & ὑ-
περεστίαν τῆς Θεῆς, Ministerium Dei, τὸ βασιλευσθαι Regnare vocant,
qui Numæ ut Regnum Romanum suscipiat, autores sunt ap. eund.
Plutarch. in Num. f. 63. E Latinis est Vellej. Paterc. L. II. c. ult. Ju-
piter Capitoline Autor & Stator Romani Nominis. Et Plinius Panegyri, c.
LXXX. n. 6. Principem dat Deus, qui erga genus humanum vice sua fun-
gitur. Seneca vero omnium significantissima ipsum Principem
de se ratiocinantem inducit. Clem. L. I. c. I. Ego ex omnibus morta-
libus placui, electusq; sum, qui in terris Deorum vice fungerer: Ego
vita necisq; gentibus arbiter. Qualem quisque sortem, statumq; habeat, in
manu mea positum est. Quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo
ore pronunciat: Ex nostro responso lætitiæ causas, populi urbesq; concipiunt.
Nulla pars usquam, nisi volente propitiog; me, floret. Hæc tot millia gladi-
orum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum stringentur, quas nationes
funditus excindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi,
quos Reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oport-
eat, quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea jurisdictio est. De Christianis
nullum est dubium, quippe verbo Dei quid sentiendum sit edo-
ctis: Allegabimus tamen & horum pauca quædam effata. Sic,
Eutropius de Trajano: Ob hoc per orbem Deo proximus nihil non vene-
rationis meruit. Ausonius de Gratiano: Deus & qui Deo proximus
tacito munera dispensat arbitrio. Loci e Vegetio & Tertulliano jam
§. IV. adducti. Jctorum Anglicorum Elogia quæ huc faciunt,
quibusve hodiernum auctoritatem Regis sui deprædicant infra
videnda c. III. §. XV.

XI.

Idem constat consensu Gentium: Nam & hæ variis indiciis
 mentem suam hac de re prodidere. Ita Curtius: *Nomen Regium Gen-*
tes, quæ sub Regibus sunt, inter Deos colunt. L. X. c. III. Et Artaba-
nus de Persis suis: Nobis inter Leges multas easq; bonas hæc optima est,
Regem colendum & orandum ut Dei cuncta sospitantis effigiem. ap.
Plutarch. Themistocl. Inter exempla recentiora huc facit, quod de
 Rus-

Rusſis perhibet *Olearius* L. III. c. X. Sie bilden es auch ſtarck Ihrer Jugend von Kindesbeinen auffein/ daß Sie von J. Saar. Majest. gleich als von GOTT reden und halten ſollen/ daher ſagen Sie oft: Das weiß GOTT und der Groß Fürst. Dahin gehen auch Ihre andere gewöhnliche Arten zu reden. Als: Vor den Groß Fürsten erscheinen/ heißen Sie J. J. Majest. Klare Augen ſehen. Ihre tieffe Demuth und Schuldigkeit erkennen zu geben/ ſagen ſie/ daß alles/ was Sie beſitzen nicht ſo wohl Ihnen als GOTT und dem Groß Fürsten zugehöre. Sie *Butanenses* Indi constanti opinione à Braminibus imbuuntur, Regem suum Deum Terrestrem esse ap. *Tavern. It. L. III. f. 126.* Turcarum de Imp. suo similis est opinio, quem ideo *Umbram Dei, Erarem Solis ac Luna* & ff. appellant. *V. Aut. St. Tur. p. I. c. II.*

XII.

Denique & ipsa agnitio Principum adducenda; Nam & Divinitus puniti legentur, si ejus sensum nullum habuerunt: *Ejicient Te ab Hominibus, donec scias quod dominatur Excelsus super Regnum Hominum & cuicumq; voluerit, det illud.* Dan. IV. 14. 22. 29. Itaque Imp. l. 2. C. de Offic. Praef. Praet. Afr. *In Nomine Domini nostri Jesu Christi ad omnia Consilia omnesq; actus semper progredimur: Per ipsum enim Jura Imperii suscepimus, per ipsum Pacem cum Persis in aeternum confirmavimus &c.* Et Numis ejusdem inscriptum *D. N. Jhs. Christ. Rex Regnantium.* Crux quoque Globo Imperiali ab eo imposita: *ὡς διὰ τῆς εἰς τὸν σάουρον πίστεως τῆς γῆς ἐγνεργητῆς γέγονε, quia per fidem in crucem potestate in Terram potitus fuit;* inquit *Svidas* de eo *V. Justin.* Unde hodiernum Usus Crucis in Globis Regum Christianorum. Et nostro seculo Rex Galliae Ludovicus XIII. in Edicto, quo S. Virginem Patronam Regni sui constituit, inter alias notas Imagini suae additas eandem Imagini Filii Dei submissam pingi voluit: *Nous ferons construire de nonneau le grand Autel de l'Eglise Cathedrale de Paris, avec une Image de la Vierge, qui tienne entre ses bras celle de son precieux Fils descendu de la Croix; Nous seront representé, aux pieds & du Fils & de la Mere, omme leur offrant nostre Couronne & nostre Sceptre,* Cod. Lud. L. I. Tit. I. §. IIX Ab aliis quatuor Literæ B. Majori cruci circumpositæ, hoc sensu, *Βασιλεὺς Βασιλέων Βασιλέων Βασιλέων* *Ἰσ.* Rex Regum Regnare faciens Regnantes; Unde & in Occidentalem

Diff. V.

D

in-

inprimis Francorum Ecclesiam tranſiit Formula : *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat, Rex Regum Chriſtus vincit, Rex noſter Chriſtus vincit &c. V. Not. Dignit. Diſſert. I. c. I. §. XI.* Eadem profefſio in Regimine Turcico quoque animadverſa : Sic enim Achmedes Imp. Turcicus Literis ad Henr. IV. R. Gall. A. MDCIV. X. Ma. I. *Ego qui inſnita gratia Juſti Magni & Omnipotentis Creatoris, & abundantia miraculorum Principis Prophetarum ejus ſum Imperator Viſtorioſorum Imperatorum &c. ap. Limn. J. P. L. IV. c. VI. Addit. f. 419. & ex eo Geiſſler. Diſſ. I. de Tit. D. Gr. §. XLII. Amurathis II. Titulus eodem reſpiciens infra allegabitur. c. IV.*

XIII.

Nulla v. in re id clarius eluceſcit, quam in conſtanti uſu Formulæ *Dei gratia*, & quæ his ſimiles Titulis Principum inſertæ ſunt, ut *Divino Beneficio, Dei Diſpoſitione, Divina Indulgentia, Miſeratione Dei, Divino munere, Dei nomine, Divina permiſſione, Divina Clementia, Divina Providentia*, von Gottes Verhängnis / von Verhängnis Göttl. Mil- digkeit / durch Vorſicht Gottes des Herren. Non tantum Pietatis teſtandæ cauſa, hoc ſenſu enim id omnibus hominibus tribui po- teſt, quorum commune elogium eſſe debet Paulinum illud : *Gratia Dei, ſum quod ſum*; 1. Cor. X. 15. Sed ad oſtendendam & originem & ſpem poteſtatis ſux, unde & *ſummi & Illibati Imperii Decus & prærogativa nulli mortalium obnoxia* non abs re vocat Bertr. Argent. ad *Conſvett. Brit. Art. 56. n. 3.* Ac nescio an quisquam copioſius ex- preſſerit, quam Gentis Chriſtianæ quidem, minus politæ tamen Monarcha Czarius Ruſſiæ, cujus hæc circumlocutio eſt. *Durch Gottes deß Allmächtigen in allem alles Wirkenden / und mit guten Tröſtungen alle Völker Beſchützenden / deſſen in der Heiligen Drey- faltigkeit Herrliches / und in der Einigkeit Lobwürdiges unſers Gottes Gnade / Verwaltung / Macht / Wirkung und guten Willen von Gott außerköhren / deß wahren Chriſtlichen Glaubens Scepter in ſeinen Händen haltend / zu beobachten und unterhalten das ganze Ruſiſche Reich / und andere vermehrte oder neuervorbene Herrſchaften zu be- hüten / mit Gottes Hülfſe / Friede ohne Verwirrung in Ewigkeit.* V. *Olear. Itin. L. III. c. XII.* Ab aliis v. & meritorum excluſio ma- joris modeſtiæ ac humilitatis cauſa adjecta : Sic Imperator Fride- ricus


ricus III. Sintermahl Wir von Gnaden Gottes unverdienter Sa-
 chen zu der Würde des Röm. Kön. Gewalts erhöht und gesetzt seyn.
 Reform. zu Franckf. am Mayn 1442. Et Maximil. I. Nachdem Wir
 von den Gnaden Gottes zu der hohen Röm. Kön. Würde 2c. unver-
 dient erhaben sein. N. U. zu Wormbs An. 1491. sub Tit. Reforma-
 tion. das heimi. Ser. in Westph. betreffende. Plane ad eum modum
 quo Imperator l. 1. C. de Offic. Pr. Pr. Afr *Multas a Deo meruimus lar-
 gitates, pro quibus nihil dignum nos egisse cognoscimus.* Eodem pertinet
 Græcorum Impp. prædicatum, quæ Θεοσεφεῖς a Deo coronatos se di-
 zere; Cujus loco in sacris est *Unctus Domini.* Ut non tantum se à
 Deo electos sed publice introductos profiterentur; Coronatio e-
 nim, Unctio, sunt actus confirmandi & publicandi delatum Impe-
 rium. V. plur. *Doct. Geisl. de Tit. Nos Dei gratia Diss. I. §. LXIX. &
 sqq.* Soli Principes Ecclesiastici augmentum addidere ac Dei & A-
 postolicæ Sedis gratia se tales scribere hætenus amarunt: Quod
 licet usu publico receptum sit, explicationibus quoque non plane
 absurdis constet; Nihilominus aliquid *super humanum & probabilem
 modum*, ut supra cum Seneca locuti sumus, sapere autumamus.
 Nam si Dei gratia sunt, Apostolicæ Sedis gratia opus non habent,
 cum Deus sit omnia in omnibus; Et ex ipsa Hypothesi Pontificia,
 quia Pontifices Maximi sunt Dei Vicarii, jam eorum non nisi Vi-
 caria erit opera, ac proinde gratia supervacua; Neque id sine de-
 spectu Divinæ Majestatis fieri potest: Nam inferior non potest
 quidem irasci, si major ei Prælatus sit, ut Augustinus loquitur c.
qui resistit XI. Q. III. At superior indignandi causam habet, inferio-
 rem sibi adjici ejusque ministerialem operam cum Principali per-
 misceri videt, tanquam sufficiens non esset ad Bona conferenda,
 vel conservanda, nisi alius opera adjuvaretur. Veluti necquis-
 quam in Politicis junctim Regis ac Vice-Regis gratiâ sibi aliquid
 tribuit: Nam si Regis gratiæ securus est, Vice-Regia non eget, si
 Vice-Regiam præterdit, non ideo tamen Regiæ certus est,

XIV.

Eadem de causa Principes Θεοτάτης h. Divina jura obtinen-
 tes se scripsere, ut Θεότατος Ἀυγστος Antoninus Pius dictus L.
Αἰσίου 9. ff. ad. L. Rhod. de fact. Quod sacratissimum quidem



vertunt, sed nihil refert & *Divum*, *Divinum* eo quo dictum sensu reddi, cum nomen hoc non mortuis tantum, sed viventibus tributum sit. Sic Horat. *Præfens divus habebitur Augustus*. Symmach. L. III. Ep. LXXXI. *Solenne est divo nostro Theodosio in suos exercere censuram*. Et Gunther. *Ligur. L. VI. v. 668. Hæc de Responsis Divi, Pater optime Regis salva Pace Tua Tibi respondenda putamus*. Conf. *Rittershus. not. in h. l. Guntheri*. Unde & Legibus, Palatio, functionibus ets. Imperatoriis idem nomen tributum: Quæ passim in Jure Civ. leguntur. Imp. Zeno vero & *Numinis* nomen sibi tribuit: *Cui nostræ Serenitas Sacras Nostri Numinis Thesauros &c. injunxit, l. 3. C. ubi Senat.* Sed forsan ultra modestiæ regulas; Neque enim de nihilo est, quod *Rittershus.* ait *L. 2. Paratit. Feud. c. 1. f. 284.* Subditos quidem ita erga suum Principem affectos esse decere, ut pro Numine & pro Deo quodam terreno habeant, colant ac venerentur; Sed an Principem ipsum hæc sibi arrogare & de se prædicare deceat, se subsistere. Nec unquam tolerabilis visa illa Domitiani Formula: *Dominus & Deus noster sic fieri jubet.* ap. *Sveton. Dom. XIII.* Et Macedones Alexandrum cum Iovis Filium se non solum appellari passus esset, sed etiam jussisset, tq. *immortalitatem affectantem contumacius averfati sunt* ap. *Curt. IV. VII.* Ex eodem dijudicandum Nomen *Vice-Dei*, quod Paulus V. P. M. haut difficulter admisit, *Dei Nepotis, Deorum Consanguinei, Deorum Consilarii*, quæ à Principibus Barbaris subinde usurpata, congestitque *Geissl. l. sæpe cit. §. LXXIII.*



CAP. III.

JURA ET OFFICIA EX DIVINO VICARIATU IN PRINCIPES REDUNDANTIA.

- | | | |
|--|---|-------------|
| <p>I. DEum Summæ Potestatis causam esse, sed Primam & Externam.</p> | <p>II. Quædam vero Ejus Jura fluere ex natura Reip.</p> | <p>III.</p> |
|--|---|-------------|

III. *Alia ex Dei in Homines Imperio & in his Vicariatum Divinum se exerere. Cur Summa Potestas dicatur Humana Ordinatio, cur Divina? Cur Jurisprudencia Rerum Div. & Hum. Noticia?*

IV. *Hinc itaq; manare I. Jus Judiciorum: Cur in Principum judicio acquiescendum sit? Cur Deus singulariter sit Judex Viduarum, Orphanorum, Pauperum, Principum? Cur vindictam privatam improbet?*

V. II. *Inspecie Jus Capitalium Judiciorum: An DEUS sola vi summi Imperii sine ulla causa Innocenti Vitam auferre possit? Cur Principes in delictis Natura Capitalibus dispensare non possint?*

VI. III. *Jus Belli: Cur à Solis Principibus, cur solum ob justam causam exerceri possit? Cur Justitiæ conscientia vires at-*

VII. IV. *Dominium Eminens:*

Cur parcius à Principibus exercendum?

IX. V. *Sanctimonia summarum Potestatum: Summus Amor Principum, Veneratio, Inviolabilitas: Nec resistere ipsis licere; Nec excommunicari posse, Nec deponi; Nec puniri. An Vox populi sit Vox Dei?*

IX. *Difficultas muneris Principum: Ad rationes Deo reddendas semper paratos esse oportere;*

X. *Deum præcipue ab iis colendum esse; Nec falsum cultum admittendum: Conscientiis tamen non dominandum, nec Homines simpliciter propter Errorem puniendos.*

XI. *Dei Exemplum quoq; sequi oportere, tum Benefaciendo, tum puniendo.*

XII. *Et publicis commodis intervenire: Quo sensu Regimen omne Subditorum causa sit?*

XIII. *Minime omnium vero malis actibus ad Principale fastigium enitendum esse.*

I.

Sequitur, ut quæ jura Principes vi Divini Vicariatus in homines exercent videamus: Ubi quidem dici posset totam Majestatem ex eo æque pendere, maxime si Deum causam Majestatis unicam & universalem esse dicamus, quod nostro tempore *CL. Hornio, Celeberr. Zieglero, Dn, Henninges & aliis placuit; Quia vero in indagine causarum, non quæ prima & externa sit, h. quæ*

D 3

dat

dat esse rei, sed causæ internæ & proximæ, h. ex qua resfluant, satagimus, quædam autem Majestatis Jura seu partes, causam suam proximam seu Internam nimis clare extra Imperium Divinum habent, ideo omnia Majestatis Jura, seu totam Majestatem hinc immediate fluere dicere possumus. Interim non diffitemur I. Deum veluti omnium rerum, ita totius Majestatis quoque causam esse, sed primam & Externam non Internam & Proximam, ex qua immediate fluat. Nam sic DEUS quoque omnium Operationum Physicarum causa est, Nivis, Grandinis, Viroris in Gramine, & tamen ideo singulæ hæc causas suas Proximas habent, è quibus fluunt, quasque Naturalium amantes indagant, certi interim, Deum omnium Primam, sed Externam causam esse. Illis quoque, quibus imbecillior ad ratiocinandum vis est, sufficere posse Divinam voluntatem: Quippe quæ datis Legibus totam Majestatem magis conspicuam fecit. Accedit Ili. quod etiamsi nulla causa interna summæ potestatis esset, Vicariatus Divinus tamen ad eam stabiliendam sufficeret. Sic enim itidem in Naturalibus Deus, etiamsi nulla causa Proxima Nivis, Pluviæ, Granorum esset, iis producendis esset sufficientissimus, qui interim facta semel creatione non ipse ea operatur, sed ex causis suis internis prodire finit.

II.

Etenim sicuti Homines non Dei præcepto, sed sponte adducti, experimento infirmitatis familiarum segregum adversus violentiam in societatem Civilem seu Remp. coierunt. *Grot. I. IV. VII. 3.* Itajura eorum quoque in unum complexum coaluisse censenda sunt, per quem Societatis illa efficax esset: Qui quidem complexus Jurium *Summa Potestas* inter homines merito dicitur, quia ultra id, quod omnes habent, nihil datur; Prima tamen productio est Reip. ex cujus natura non minus derivatur, ac Jura singula ex singulis hominibus, qui ea habent, non à causa extrinseca, sed vi naturæ suæ, & quia homines sunt. Neque possumus Remp. deteriori in loco habere, quam omnia alia corpora naturalia & moralia, quorum veluti nullum est, quin Qualitatibus ex Natura sua manantibus, per quas operetur, instru-

fructum sit, ita Remp. quoque tanquam corpus morale qualitate ejusmodi, per quam efficax sit, instructam esse oportet. Illa vero est summa potestas, complexus omnium Jurium, quæ singuli in Remp. æque ac seipso transfulerunt; per solam hanc enim Resp. operationes suas producit, sine ea efficaciâ destitueretur, eoque nec Respublica manere posset.

III.

Quia vero à Summa Potestate quædam Jura exercentur, quæ nullus hominum habet, adeoque nec in Remp, transferre potuit, sequitur ut ex potestate sublimiorii ipsi accesserint: Quæ cum solius Dei sit, jam Principes quoque aut quivis alii superiores ea Jura exercent, non vi Suprematus illius, quo ab hominibus donati sunt, sed vi Juris ac Imperii Divini in Homines sibi concediti. Dicemusque proinde, in Summa in Rep. Potestate duorum generum Jura concurrere: Quædam quæ ipsi competunt *vi Suprematus sui* inter homines; Quædam quia *Divinum Imperium in homines representat*: Priora fluunt ex translatione, Communicatione, Unione Jurium, quæ homines inter se habent, adeoque in iis versantur, quæ homines pro arbitrio disponere possunt, quæ *Jus Dignitatum, Commerciorum, Moneta, Fæderum & ff.* quæ sine speciali Mandato Divino homines libere exercent, nec quemquam Deus ad ea cogit. *Posteriora* ex Divino Imperio manant, & circa ea occupantur, quæ hominum arbitrio subjecta non sunt, adeoque omnia illa, ad quæ homines vel Jus non habent, vel ad quæ nolentes etiam cogi possunt. Eritque proinde Summa potestas aggregatum quoddam ex Humanis & Divinis Juribus, qua de causa in Sacris quoque Humana pariter ac *Divina Ordinatio* dicitur. *Humana* quidem *Ordinatio. I. Petr. II. 13.* quatenus Summam Jurium Humanorum sustinet, quo sensu & Imperator *Regna Jure Gentium instituta* esse dicit, Regna quidem, quia aliæ illis temporibus Respp. non dabantur, Consensu Gentium vero h. voluntate hominum, sensu infirmitatis suæ ad id sponte adductorum. *Divina* deinde *Rom. XIII. 2.* non tantum, quia Hominum salubre institutum Deus probavit, quæ *Grotii ratio est ante c. l. IV. VIII. 3.* Sed præcipue propter Vicariatum, quem Dei nomine

ge-

gerit. Et Jurisprudencia est Divinarum atq; humanarum rerum noticia, §. 1. Inst. de J. & J. Humanarum nempe h. ex Jure inter homines manantium, seu quatenus Humano Juri subjacent; Divinarum vero seu quæ homines vi Divini Imperii exercent. De priori genere hujus loci non est agere; Posteriora quæ sint, paucis dispiciendum.

IV.

Tale itaque I. est *Jus Judiciorum*: Nam Licet aliquis cognitionem Juris sui alteri subicere possit, ut tamen ad id cogi valeat, in Jure Humano non videtur situm esse; At Dei in Homines Imperio ad id obligatur, qui veluti unumquemque Juribus suis donatum in mundum immisit, ita iisdem frui vult, & alios, ut iis abstineant, tanquam autor & arbiter omnium rerum, cogendi vim habet. Atque hinc in Sacris Judicia Deo sine exceptione passim tribuuntur. *Dominus judicat Populos* Ps. VII. 9. *Judicabit Orbem Terræ* Ps. IX. 9. *Non est hoc Tuum, qui judicas omnem Terram.* Gen. XLIX. 25. *Nunquid iniquus est Deus &c. Absit, alioquin quomodo judicabit Deus hunc mundum,* Rom. III. 6. *Judices quoque Dei nomine judicare dicuntur. Nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est.* Deut. I. 17. *Videte quid faciatis, Non enim Hominis exercetis Judicium, sed Domini,* Dicit ipse à Deo constitutus Summus Princeps ac Judex Josaphat ad Judices Delegatos suos II. Chron. XIX. 6. Unde & in Judicio ipsorum acquiescendum est, tanquam Interpretum Divinæ voluntatis, seu quia *ὁ Θεὸς ὁ λέγων, Deus est qui loquitur,* ut Clem. Alex. ait L. III. Strom. *Non est nostrum aestimare, quem supra ceteros & quibus de causis extollas, Tibi Summum rerum judicium Dii dedere, nobis obsequi gloria relicta est.* Inquit M. Terentius Eques Romanus ad Tiberium ap. Tac. Ann. L. VI, c. 8. Et neglecto aut deficiente Judicio Deus ipse Personam Judicis suscipit. *Sic Judex est Viduarum & Pater Orphanorum,* Ps. LXII. 5. *Quia non infrequens est, Personas has neglectim haberi. Factus est refugium Pauperi.* Ps. IX. 9. *Quia pauperes contemni solent. Et ipsos Principes judicat. Stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos judicat.* Ps. LXXXII. 1. quia immediate ei subsunt, adeoque omni judicio humano Superiores sunt. Omnia

mnem denique privatam ultionem improbat, quia in Jus Dei involat. *Mea est Ultio, ipse retribuam, Deut. XXXII, 35. Deus Ultionum Dominus Pf. XCIV. 1.* V.

II. In specie hujus hoci est *Jus Judiciorum Capitalium* seu *Jus Vitæ Necis*, Nemo enim Jus in vitam propriam habet, tanto minus in vitam alterius; Ac proinde ne Jus hujusmodi vel in Remp. transferre, vel Magistratus ab eo acipere potest. Et licet verum sit, Nos Jus arcendi unumquemque ab eo, quod nostrum est, habere, idemque in Remp. transtulisse. I. Tamen ipsum hoc Jus arcendi radius Divini Imperii est, II. Inde tantum sequitur, homines vim nobis inferentes pœna dignos esse, non vero quemvis modum arcendi ideo nobis competere. Fluit igitur ex Summo Dei Imperio in Homines, cujus solius vita nostra donum est, Solusque proinde id à nobis repetendi auferendique jus habet, Non quidem quod vitam sine ulla causa & unice vi Summi istius Imperii auferre possit; Id enim pugnat I. cum Justitia Dei, quæ neminem sine causa jure suo privat, II, Cum Bonitate ejus, quæ hominem conservare amat, non sine causa destruere. III. Cum Sapientia ejusdem, Hominem enim sine causa & vi solius Imperii Summi destruere sine careret, adeoque vanitatis foret: Quemadmodum ne inter homines quidem, qui vel arbusculam evellit, ideo tantum ut se posse id ostendat, vanitatis nota caret; Sed quod vita indignos judicet, eaque proinde per Ministrum suum privari curat. Hinc & tanquam Dei Minister *Gladium gestare* dicitur, h. Instrumentum exitii. *Rom. XIII. 4.* Notavit hæc, & more suo h. sapientissime expressit *Jacobus I. Rex Angliæ Or. ad Parlamenta Angliæ habita A. MDCIX. XII. Cal. Apr. Vide, ait, quum apte Regi conveniant Divina attributa. Dei est creare. & in nihilum redigere; facere, destruere; donare vita, multare morte: Omnes judicare, judicari à nemine; Humilia exaltare, & cum visum est alta deprimere: Et, ut verbo expediam, anima cum corpore Deo debetur. Similis quoque est Regum Potestas, ut Subditos erigant, & deprimant; Vita necisque Domini sunt; Competit iis in omnes Subditos, omnibusque in causis, judicium, ut Deo soli in Reges in Opp. Regiis f. 525.* Nec alienum erit in modo tractandi Criminalia judicia hujus connexionis indicium quæri: Nam quia Principes non propriam sed delegatam veluti à Deo potestatem habent, Ideo inferiori-

Diff. V.

E

bus

bus Magistratibus Judicia hæc quidem committere, suosque veluti Subdelegatos constituere possunt, sed hi iterum ea aliis permittere non possunt; *Vicarius Vicarii enim non potest creare alterum Vicarium propter Infinitatem reprobata;* Nec Subdelegatus Delegati potest alterum iterum subdelegare, *ut evitetur Infinitas.* Franc. Marc. Dec. Q. CCCXVII. n. 4. Principes quoque in delictis natura capitalibus difficillime dispensare possunt, Quia enim judicia hæc non ex arbitrio ipsorum sed ex Mandato Principalis sui pendent, hinc extra Mandati Principalis fines haut egredi possunt; Nec, qui Deo auctore vita indignus statuitur, hunc in vita retinendum esse judicare possunt.

VI.

III. *Jus Belli:* Quod quidem cum Jure puniendi idem non est, Effecta Juris tamen cum Judiciis Capitalibus eadem habet. *Hæc tot millia Gladiorum, quæ Pax mea comprimit, ad nutum meum stringentur,* dixit supra Princeps Bonus ap. Senec. Prac. c. II. §. X. Quomodo vero? Quia quod tanquam Actor Humanus obtinere non potuit, Dei nomine poscit, & repugnantem extorquet, Jus illud non habiturus alioquin, nisi Dei nomine id ipsi competeret: Nam Bellum quidem incipit, ubi Justitia deficit; In Jure Humano tamen nihil est, deficientem sublevare possit, cum adversus Principum injurias remedia Humana non extent, nec Principes quoque se invicem cogere possint, quia pares sunt, Par in Parem vero sicuti Imperium ita vim cogendi non habet, Dei jure ergo Jus sibi denegatum adversus improbos persequitur, & quidem ad eum modum quo Deus ipse, qui *Deus Justus ac fortis non convertenti Gladium suum acuit,* Ps. VII. 13. Unde ipse Deus toties vocatur *Deus Zebaoth* seu *Deus Exercituum*, quoniam omnia Bella Vicario ejus nomine geruntur; Nec geri possunt, nisi à Summam Potestatem habentibus, quia penes hos solos Vicariatus Divinus residet; Nec nisi ob justam causam, Dei nomine enim Jus nostrum querimus: Et justitiæ conscientia in Bellis spem habet Comitum, quia scit causam Deo probari: *A quo stat Jus, ab eo Deus,* Joseph. Ant. L. XV. Testamur Deum cujus potentia vel minima particula omnem humanam vim æquiparat; Is, ut credibile est, belli causas intuens, dabit debitum utrisque prælii exitum, ajunt Longobardi ad Herulos ap. Procop. & ex eo Grot. Proleg. §. XXIV. Quo & referendus vetus

Ro-

Romanorum Bella denunciandi Ritus, quo Fecialis ad infestorum hominum agrum profectus, cum primum fines eorum attigit, Jovem cæterosque Deos invocans, testatur à Romanis se venire, jusque suum petere. Deinde juratus, ire sed ad injustam civitatem, & si quid mentiretur, seque suosque cives execratus, intra fines ingreditur, & quem primum obvium nactus est, eum testatur, si ve is Urbanus sit, si ve rusticus, & repetitis eisdem precibus atque execrationibus, ad urbem pergit &c. Denique Magistratibus adventus sui causam indicat, semper jusjurandum & imprecationes adjiciens. V. *Rosin. Ant. Rom. L. X. c. I.* Atque sic demum res suas se pio justoque Duello quærere censebant, h. tali quod confidebant Deo autore eodemque approbante gerit.

VII.

IV. Porro & *Dominium Eminens* h. potestas quam Principes in Bona Privatorum habent, ex Vicariatu Divino fluit: Quo etiam in specie collimat *Osiander Nott. in Grot. L. I. c. l. §. 6.* Nam Deus hominibus quidem jus in Terrena hæc concessit, retento tamen in eadem Summo Imperio, quo Dominia transfert & mutat, licet nunquam sine causa. Hujus igitur Imperii vi & Principes Dominia privata mutant & auferunt, non pro arbitrio quidem, attamen necessitate communi exigente. Et dicitur quidem Resp. majus Jus in singulos habere, quam ipsi in se habent, hoc tamen non à consensu singulorum venit, quia nullo consensu, quantumcunque sit, alteri Jus suum auferri potest; Sed à Divino Imperio, cui res nostræ omnes indubie subsunt. Unde & modum agendi ex Divina Potentia capiunt, h. ut nunquam eo utantur ob simplex aliquod commodum, sed postulante necessitate, & quidem Majoris Boni in Rep. obtinendi gratia. Sic nusquam legimus *Miraculum aliquod à Servatore patratum, circa Honores, aut Pecunias (præter unicum, quo Tributum redderetur Cesari) sed tantum circa Corpus Humanum, aut conservandum, aut sustentandum, aut persanandum.* Verulam. *Augm. Scient. L. IV. c. II.* In vita Sociali v. tale corpus Morale est Respublica. Et hoc sensu capiendum, quod Rex Angliæ Jacobus cit. Oratione de Divinorum Attributorum cum Rege convenientia porro adjicit: *Populum tractant velut latrunculos in alveo lusorio, ubi Agricola Episcopum aut Equitem arripit: Subditorum quoque ut nummorum æstimationem pro libito mutant.* cit. l. *Opp.*

Reg. f. 525. Pro lubitu utiqve mutant, sed non sine ratione, nec unquam sine respectu majoris utilitatis, non aliter enim & Deus facit, quando edit miracula.

VIII.

V. Deniqve & singularis illa *Sanctimonia Principum* hinc præcipue derivanda, h. Summus Amor ipsis debitus, Summa eorundem Veneratio, & hinc iterum manans perpetua ipsorum Inviolabilitas, *ut pote Par Deorum potentie fastigium emulantium.* Curt. VI. 6. 2. Summus Amor ipsis debetur tanquam proximis à Deo, qui Summe amandus est, adeoque *ultra omnes necessitudines privatas.* Summa veneratio, tanquam *Dei cuncta sospitantis imagini*, ut Artabanus supra dixit c. II. §. XI. *Non alio animo Rectorem suum intuetur, quam si Dii Immortales potestatem sui visendi faciunt, intueremur venerantes colentesq; Senec. Clem. I. XIX.* Et quia ultra privatas necessitudines amandi sunt, ultra Jus Commune quoque sunt Inviolabiles. *Quis n. extendet manum suam in Christum Domini & innocens erit.* I. Sam. XXVI. 9. Itaque nec Principibus resistere licet, quia resistitur Divinæ ordinationi. *Rom. XIII. 4.* Sed Injuriam eorum Deo committendæ: *Judicet Dominus inter Me & Te, manus autem mea non sit in Te,* I. Sam. XXIV. 13. Nec excommunicari possunt, Dei Vicarium enim esse, & usu Sacrorum, h. eorum quæ ad Deum referuntur arceri, simul consistere non possunt. *Nec deponi,* Non constat enim, an Deus Vicariatu suo ipsos exui velit: Unde licet per homines id aliquando factum sit, nunquam tamen Deus id certo hominum generi commisit. *V. plur. M. Ant. de Dom. L. VI. c. X. n. 77. Minime omnium puniri,* quia soli Deo subsunt. *Tibi soli peccavi,* inquit David *Pf. LI. 6.* hominibusque proinde se subjacere negat. Ac dici quidem solet, *Vox Populi, Vox Dei:* Sed id eo sensu, quo vulgo accipiunt, falsum est; Populus enim est Ordo Parentium: *At vocem Reip. esse vocem Dei* verum quidem est, sed causam oppositam non juvat; Hoc ipso enim quo Reip. est, etiam Principis est, quia is Remp. sustinet.

IX.

Recensuimus hætenus *Jura* quædam potiora Principum à Divino Vicariatu in ipsos derivata, quibus plura facile addet, qui singulas summæ Potestatis partes specialis expendere volet: Sequitur ut *Officia* quoque ex splendido hoc Characterè in eos redundantia videamur

videamus. Et sane universum eorum munus hoc ipso summe difficillimum esse in propatulo est, quia causa quam agunt non humana, sed Dei est; Debentque proinde operam dare, ut Deo se Dignos reddant, h. ut dum Gratia Dei id sunt quod sunt, Gratia ejus in ipsis haut vacua sit, sed abundantius reliquis laborent, argumento 1. Cor. XV. 10. Et quidem non sine timore: *Maledictus enim est qui facit opus Domini negligenter.* Jerem. XLIX. 10. *Surge, o Rex, & curam rerum gere, quas Te curare Oromasdes voluit.* Matutina salutatio erat, quae Cubicularium aliquem quotidie Regem Persiae alloqui oportebat. Teste *Plutarch. ad Princip. Indo & f. 78.* Nec abuti potestate; Id enim foret Divinum Vicariatum non gerere, sed evertere. *Hec Divina Potentia est, gregatim ac publice servare: Multos autem occidere, & indiscretos, incendii ac ruina potentia est.* Sen. Clem. I. XXVI. Sed tanquam Deo rationem muneris sui reddituri, seu ut Sen. loquitur qui diis immortalibus, si rationes repetant, annumerare genus humanum parati sint. Clem. l. c.

X.

Principes itaque quia Dei Vicarii sunt, Deum praeter omnibus debent colere, ut quantum supra ceteros ejus Benignitate evecti sunt, tantum illos superent gratitudine. Sereniss. R. A. Don. Reg. L. l. f. 1. *Describet sibi Deuteronomium Legis, ut discat timere Dominum suum & custodire verba ejus & c.* Deut. XVII. 19. Culto suo quoque subditis praerulucere, tanquam faces virtute ac pietate accensae dirigendis Errantium Civium vestigiis. Jac. R. A. Don. Reg. L. I. f. 2. Sicque cum Numma consultaret, an expediret Imperium Romanum a se suscipi, inter argumenta svadendi prolatum fuit Imperium sapienti Viro egregiorum & magnorum factorum esse studium, *ἐν ἧ καὶ θεογονεῖαι θεῶν μεγαλοπρεπεῖς εἰσι, καὶ πρὸς ἀσέβειαν ἀνθρώπων ἡμερώσεως.* In quo & Deos colere magnifice & ad Pietatem mollire liceat homines. *Plutarch. Num f. 63.* Unde nec falso cultui fræna laxare possunt, quia in despectum Dei cedit. Conscientiis tamen ideo non dominabuntur, nam hoc Reservatum Dei est, & natura sua à Vicariatu Divino exceptum. Conf. c. I. §. IV. & XIII. Conscientia enim Actus Internus est adeoque extra Potestatem humanam posita. Nec errantes simpliciter Errantium causa punient: Quia id itidem potestatem Humanam excedit; Nec ulla ratio est cur ea non relinqvantur

Deo, qui & ad ea noscenda est sapientissimus & ad expendenda equissimus & advindicanda potentissimus. Grot. II. XX. 21.

XI.

Dei exemplum quoque sequi oportet. Deorum animum sibi asserens Princeps alios ex Civibus suis, quia utiles bonique sunt, libens videat, alios in numerum relinquat, quosdam esse gaudeat, quosdam patiatur. Sen. Clem. I. V. Nec facile irasci. *χρη τοίνυν ηγὼ ὡς θνητὸν μὴ ἐπαίρεσθαι, ηγὼ ὡς θεὸν μὴ ὀργίζεσθαι. Εἰ ηγὼ γὰρ εἰκόνι θεῖκῃ τετίμηται, ἀλλὰ ηγὼ κόνει χείκῃ συμπέπλεκται, δι' ἧς ἐκδιδάσκεται τὴν πρὸς πάντας ἀπολοτήτα.* Debet Rex ut mortalis non tolli, & ut Deus non irasci; *Et si n. Imaginis Divinae honore est affectus, pulvere tamen Terreno implicitus est, per quem edocetur, qua erga omnes utatur simplicitate.* Inquit Phil. ap Stob. *ὡς βασιλ. Serm. CX.* Puniat etiam, sed itidem Dei exemplo, ad edificationem, non ad destructionem. *Quaquam enim Dei sit tam creandi quam destruendi potestas, est tamen ab illius sapientia alienum naturam evertere, & conspicuam hanc rerum Machinam luxare.* Jac. Rex Angl. Or. IV. f. 526. Aula eorum quoque erit Templum Dei, h. prudentiae oculus, libra justitiae, fortitudinis sedes, regula temperantiae, honestatis exemplar, charitatis splendor, fons gratiarum, Musarum chorus, Oratorum, Poëtarum Gymnasium, Philosophorum, Theologorumque sacrarium, Prudentum Senatus, ingeniorum fomentum, praemium literatorum, pauperum mensa, bonorum spes, refugium innocentium, praesidium miserorum. Marfil. Fic. Ep. L. V.

XII.

Et publicis inservient commodis: *Omniū domos Principis vigilia defendit, omniū otium illius Labor, omniū delicias illius Industria, omniū vocationem illius occupatio. Est Halitus narium nostrarum, & Lumen aculorum nostrorum,* ajunt Jcti Anglici de Rege suo. Sic namque & Deum concipi oportet *Omnia tribuentem beneficia gratis dantem* Sen Ep. XCV. *Princeps est quasi oculus à Deo adaptatus Reip.* Oportet igitur eum hominibus quasi propriis membris prospicere. *Agap. Sched. Reg.* Unde & recte dicimus *Regimen omne Subditorum causa esse.* Sicut Divinum quoque Imperium Hominum, non Dei causa est, nam hi Remine egent, non ille: *Sed non ex Subditorum Ingenio estimandum, cujusmodi regimen inter Porcos olim agitatum, sed infelici exitu ingeniose descripsit Autor Germanicus Batrachomyomachiae, de Froschmäuseler P. II. c. XII.* Nec commodis Principum ideo destitutum,

tum, quorum magnitudo hoc ipso stabilis fundataque est, quia omnes eos tam supra se quam pro se sciunt. Sen. Clem. I. 11. Id veteres dixerunt rationes cum Republica ponere; Non Remp. suam esse sed se Reip. Et Adrianus Imp. se ita imperaturum, ut sciret Rem populi esse non suam. Æl. Spart. in Adr.

XIII.

Minime omnium vero malis artibus ad Principale fastigium enitendum est. Frustra enim vitulum excubia, ni Deus sit urbis tutela: Frustra Domus edificatur, ni Deus successum indulserit; Frustra plantat Paulus, aut irrigat Apollo, ni Deus dederit incrementum. Humana omnia transeunt ut umbra, marcent ut flores, prætervolant ut palea, nisi Deus vero sui cultu, & eo nata vite sanctimonia Regum Sceptra fuerit tutatus, Jac. R. A. Or. l. f. 489.



CAP. IV.

COGNATA DIVINI
VICARIATUS.

- I. **Q**uomodo Mali Principes Divinum Vicariatum gerant: Quid si detur Princeps Atheus? II. Illustratio Vicariatus Divini Personarum Sacrarum.

I.

Superest, ut quomodo Divinus Vicariatus malis Principibus tribuatur videamus: Nam & hos veros Principes esse negari nequit, & tamen Divinum Vicariatum gerere non facile dici possunt, hoc ipso quia mali sunt. Non Deus volens iniquitatem Tu es, nec habitabit juxta Te malignus: Non stabunt iniqui in conspectu oculorum tuorum. Ps. V. 5. 6. Accedit notabile illud Effatum Dei Hos. XII. 4. Regnarunt, sed non ex me; Principes extiterunt, & non cognovi. Et Seneca quidem cum aliter nodum hunc

hunc solvere non possit, ob merita Majorum id munus ipsis obtingere censuit. *Quid sibi voluit Providentia, quae Aridaum Regno imposuit? Quare Cajum Caesarem Orbi Terrarum praefecit, hominem humani Sanguinis avidissimum &c. Sint hi Reges, quia Majores eorum non fuerunt, qui pro Summo Imperio habuerunt justitiam, abstinentiam, qui non Rempublicam sibi, sed se Reip. dicaverunt. Regnent hi, quia Vir bonus quidam proavus eorum fuit: Qui animum supra fortunam gessit, qui in dissensione civili, quoniam ita expediebat Reip. vinci quam vincere maluit. Referrur illi gratia tam longo spatio non potuit. In illius respectum iste populo praesideat, non quia scit aut potest, sed quia alius pro eo meruit. Benef. IV. XXXI. XXXII. f. 323. Sed longe sanior eodem loco ab eo interjecta sententia, est. Nota est Diis operis sui series: Omnium illis rerum per manus suas iturarum scientia in aperto semper est: nobis ex abdito subit, Et quae repentina putamus, illis provisa veniunt ac familiaria. Occultis ergo Judiciis Dei Principes mali exurgunt. Idemque qui Augusto Imperium dedit, ipse & Neroni, qui Vespasianis, vel Patri vel Filio, suavissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo, ait Augustinus C. D. L. V. c. XXI. Et quidem vel in poenam Familiae Regentis, tanquam Divino Vicariatu non amplius dignae. Affigam semen Davidis super hoc I. XI. 39. Vel in poenam populi, tanquam Bono regimine indigni. Mittam eis Ordinatores & Stratores & sternent eum. Jer. XLIX. 12. Quo faciet ille Amurathis II, Imp. Turcici Titulus: Sultan Murath &c. *Re del tutt il mondo, o vero de tutto quello, che se tro va sott il cielo, della providenza del signor Iddio destinato & ordinato fracasso & rojuna dell univerva Christianita, Signor & Re de tutti quanti, che danno noja & molestia al mio Regno.* Quem producit J. Jac. Breuning. *Itin. p. II. f. 100.* Nec tamen ideo desinunt Principes esse, sed agnoscendum, quod Constantinus Imp. dicere solitus fuit, *ut sint Imperio digni, quos ad regendi necessitatem vis fatalis adduxerit* ap. *Ael. Lamprid. in Heliogab. c. ult.* Nec Vicariatu Divino carent, licet eo abutantur; Neque enim ideo statim Jus esse desinit, si quid a malis usurpetur. *Grot. II. XXV. IIX. 4.* Unde & Hosea isti, *Regnarunt, sed non ex me &c.* Respond. Regimen a DEO esse, in hominibus vero vitium circa modum id acquirendi vel conservandi esse posse.*

posse. Sic Regnum Jerobeami à Deo erat, at nihilo secius in Populo id deferente vitium, qui ira potius & impatientia, quam idonea, aliqua ratione ductus à legitimo Rege defecerat: Constituitq; proinde Regem, sed non ex Deo, quia factum populi erat seditio & Apostasia. Nec minus vitium in Jerobeam erat, nam habebat is quidem oraculum de Regno accipiendi: De modo autem ac tempore id accipiendi non habebat patefactionem, Cum igitur non expectata Dei vocatione Regnum à seditiosis oblatum arripit: fit ipse quoq; Apostata & Seditiosus in legitimum Regem &c. Discernenturq; proinde hæc tria: Jerobeamum esse factum Regem: Et, populum constituisse eum Regem: & Jerobeamum accepisse Regnum à populo seditioso. Primum fuit a Deo, laceratio regni unius in duo, pœna peccati Salomonis 1. Reg. XI. 33. & XII. V. 15. 24. Secundum & tertium fuit apostasia, rebellio, seditio, peccatum, non à Deo. Quæ verba sunt Parei Comm. in c. l. Hos. De Exitu eorum repetenda quæ c. III. §. IX dicta: Nec ignotum est vetus istud: Sine cæde & sanguine pauci descendunt Reges & sicca morte Tyranni: Recte omnino, ob abusum Juris Divini, quod donati fuere. Quid vero si detur Princeps Atheus? R. Et hunc jure suo fruiturum, ad eum modum tamen, quo Deus etiam Idola defendit, si perjuriam aut sacrilegia in ea committantur, non ipsorum causa, sed quia Injuria quam patiuntur in ipsum DEUM redundat.

II.

Personæ Sacræ quando Vicarii Dei sint c. l. §. XIII. dictum: Hic adjicimus Elogium hoc ab antiquissimis temporibus ipsis in Ecclesia tributum. Sic Hormisda P. M. Ep. LX. Caput Ecclesiæ Christus est, Christi autem Vicarii Sacerdotes sunt, qui vice Christi legatione funguntur in Ecclesia. Cyprian. de Aleat. Et quoniam nobis Divina & paterna pietas Apostolatus Ducatum contulit, & Vicariam Domini Sedem cœlesti dignatione ornavit. Ambros. in 1. Cor. IX. Mulier non habeat caput liberum, sed velamine tectum: nec habeat potestatem loquendi; quia Episcopus Personam habet Christi: Quasi ergo ante Judicem. sic ante Episcopum, quia Vicarius Domini est, propter reatus originem, subjecta debet videri. Alia loca plurima V. ap. M. Ant. de Dom. de Rep. Eccl. L. II. c. VI. n. 3. An Pont. M. a-

Diff. V.

F

lio

lio Vel eminentiori sensu Vicarius Dei aut Christi sit, instituti nostri non est examinare, quibus satis est, Christum Vicario non egere, sed adhuc totum capitis Ecclesiae officium per Spiritum suum exercere. In iis v. quæ externa directione in sacris opus habent, concreditum Principibus Divinum Vicarium sufficere. Conf. *Marc. Aut. de Dom. L. IIX, C. III. 22.*



COROLLARIA

I.

Universalis quædam Monarchia expectari nequit.

II.

Reginæ Regentes Maritis suis majores sunt non tantum in Actibus publicis, sed in ipso conjugio.

III.

Principi ne in inevitabili quidem mortis periculo resistere licet.

IV.

Innocentem hosti poscenti dedi non illicitum.

V.

Princeps obligatur etiam Legibus Civilibus à se datis.

VI.

Civis bonus non potest esse nisi idem sit Vir bonus.

VII.

VII.

Israelitæ sine furto vasa Ægyptiorum abstulere.

IIIX.

Innocente in ædes meas fugiente Latroni sine mendacio respondeo, ipsum huc non venisse.


IX.

Bella solùm gloriæ causâ gesta injusta sunt.

X.


Nec prædæ causâ geri possunt.


F I N I S.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its lightness and the texture of the paper.







Lf 342 i

ULB Halle
004 504 178


3



IA 70L

VOTA






JANUARI
DOCT
DISSERT
M



E CO
r aliu
o invol
iorun
ed illa
c omn
endu
eneris
ndi &
unt.
are id
nob.
ia op
mala
; absc
urati
escat.
neran
pelle
ie sa,
n legi
e. Q
eine
ale agi
em fa
facta.
yvas f
Itine
u, qv
Et oli
n tant
ingva
Hor
is ma
m qua
p. Be
F



16
Ka 3050

B. C. D.
DISSERTATIO
DE
DIVINO VICARIATU PRINCIPUM

QVAM
PRÆSIDE
JO. CHRISTOPH. BECMANO,
D. ET HISTOR. AC POLITIC. PROFESS.
PUBLIC. ORDINAR.

IN
AUDITORIO PHILOSOPHICO MAJORI
PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI
SUBJICIT
OTTO CHRISTIAN de GRUMBKOVV.
Ad D. IIX. SEPTEMBR. ANNO MDC LXXXIIX.



FRANCOFURTI
Impensis PAUL GÜNT. Pfortenhauers / Bibliop. Coburg.

DISSERT. V.

